Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Klug

# Oporotheca Logicae hoc est. Utilis Et Jucundus, Controversiarum Logicarum Tractatus, Sedecim Disputationibus comprehensus, quarum quaelibet monstrat Pentadem Antilogiarum per distinctas Conclusiones legitime dicasarum

Rostochii: Kilius, 1642

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0001
DFG


Ec-1067.
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0003
DFG

OPOROTHECA LOGICÆ
*hoc est.*

# UTILIS ET JUCUNDUS, CONTROVERSIARUM LOGICARUM TRACTATUS, SEDECIM DISPUTATIONIBUS comprehensus, quarum quælibet monstrat Pentadem Antilogiarum per distinctas Conclusiones legitime decisarum.

*Accesserunt*

Singulis Disputationibus jucundissima Problemata Philosophica, nervosè pertractata & elaborata, inq; Celeberrima ac Florentissima Academia Rostochiensi ventilata.

AUTHORE
M. DAVIDE Klugio
Tilsâ Prusso.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0005
DFG

VIRIS

*Plurimùm Reverendis, Amplissimis, Excellentissimis, Præclarissimis autoritate ac ardenti pietatis evangelicæ Zelo conspicuis.*

Dn. JOHANNI Behm.

Dn. COELESTINO MISLENTÆ,

Dn. LEVINO POUCHENIO,

Dn. ABRAHAMO CALOVIO,

S.S. Th. Doctoribus hujus Seculi longè celeberrimis, Professoribus Publicis in Academia Regiomontana gravissimis, ac Lutheranæ Religionis Luminibus splendidissimis, fulgentissimis

*Dominis suis Mæcenatibus ac Promotoribus summâ honoris reverentia devenerandis.*



VIRIS itidem

*Admodum Reverendis Clarißimis autoritate & pietate præeminentißimis*

Dn. M. MARTINO WOLDERO, Paſtori Regiom: Palæopolitanæ primario.

Dn. M. FRIDERICO STIMERO, Antiſtiti Regiom: Löbn. dexterrimo

*Conſiſtorij Sambienſis Aſſeſſoribus digniſſimis.*

Dn. M. URBANO LEPNERO,

Dn. M. ISAACO HALBACHIO.

*Diaconis Regiom: Palæop: eximijs.*

Dn. GEORGIO WERNERO.

Dn. M. CHRISTOPHORO SCHULTZIO, Illi Diacono Löbnicenſi, huic Diacono Regiom: Palæop: fideliſſimis.

*Dnn. Mæcenatibus Fautoribus ac Promotoribus colendis.*

BOna hominibus omnia à Diis immortalibus nullo alio niſi laborum noſtrorum pretio vendi tralatitium eſt Veri verbium. Latet enim in Capite JOVIS, *id eſt hominis ſeduli Cerebro* Minerva, *h. e. eruditio, quam* Vulcanus *id eſt ardens ſtudium aſſiduâ induſtriâ veluti aſſiduis ictibus Cerebrum aperiendo ac indies incredibili quadam*

*voluptate, quò res felicius ac facilius procedit proficendo, tandem cultioris literaturæ producit hominem. Crebrum istud laboris impendium uti in omni Disciplina ita vel inprimis in studio Logico necessarium existit, eò quod Veritatem in omni studiorum genere investigandam nobis unicè suppeditet. Etenim in quocunq; Disciplinarum genere contentionis funem cum Adversario traxeris, enndem prosternere vix poteris nisi adacto veritatis venabulo ex armamentario Logices deprompto, eâdem autem si fueris destitutus, Brutorum instar Summam hominis felicitatem in voluptate collocabis, imò Andabatarum more in quibusvis insciticæ tenebris obambulabis donec facem veritatis coëmeris greßibus tuis prælucendam. Cave tamen sis ne ejus abusum pro legitimo mihi venditaveris usu, ille sicut non est artis sed artificis, ita hic vel unicè est artis Deo Conditori suo ad ejus gloriam & Bonum publicum servire gestientis, cujus genuinum usum si quis contemptui ac despicatui duxerit, næ ille Dei beneficia & munera contemnit. Et sanè* nisi donum hocce quo de veritate inventa reddaris certus *(utar verbis Clariß. Dn. Doctoris Danhaweri in Idea Bon. Diß. p. 4.)* quomodo non habere possent in die novissimo suæ hæreseωs aliquod mantellum illi, qui è Scriptura suas hæreses non melius intellecta defendere conati sunt; respondebunt illi, Domine nostram sententiam è verbo tuo hausimus. Tũ ille, sed ut è roseto suum virus araneæ, Regerent hi, atqui nos aliter Scripturam non intellexim̃us. Vestrum hoc vitium est inquit Judex, quod vobis intrivistis ipsi exedetis. Cur enim θεοδίδακτοι vos Rom. 1. v. 3. media tûm rectè concludendi ex intellectis, quæ vobis Deus & Natura indulsit susq; deq; habuistis.

buistis? Ideò etiam D. Apostolus Paulus postquam c. 1, ad Rom. prolixè in notitiarum innatarũ commendationem ivit, tandem concludit in fronte c. 2. διόπ ἀναπολόγητος quapropter inexcusabilis &c. *Hâc igitur ratione commotus ego non potui non Disciplinæ Logicæ aliquantisper excolendæ aliquid temporis permissu Superiorum impendere, ac ob id controversias nonnullas in publicum proseminare, quibus tamen partim theologica nonnulla inspergere partim ad cujusvis Disputationis Calcem Problemata selectiora è Sacrario Philosophiæ petita appendere haud operæ dispendium fore ratus fui. Uti vero Labor hic horis subsecivis institutus petitoribus fuit gratus, ita non-petitores vitiosum exagitandi pruritum haud prodere tentent sed si non ubiq; operi exascitato lucem addiderim (non enim Argus sum ut omnia viderim cum εἷς ὁ ἀνὴρ ἐ παντ' ὁρᾶ.) in defæcatum ingeninm judiciiq; mei juvenantis penates culpam transferant. Ipsemet enim fateor nonnullas Disputationes majorem expetiisse ἀκρίβειαν quam ob temporis paupertatem venari non licuit, in nonnullis tamen eandem me sectatum fuisse candidus Censor haud diffitebitur, in quibus uti multa ex flore Dominorum meorum Præceptorum ut & aliorum, exsugendo mella, constipaverim, ita non pauca, quisquis rerum æquus es Judex, exceptum ibis: quorum inventionem & methodicam tractandi rationem nullibi, quod sciam, hactenus inculcatam ac indagatam, pro meo, citra jactantiæ saperdam, vendico idq; non mihi sed Deo Trinuni adscribo. Dum verò recordor animo cui opellam hanc meam consecrarem, tacitâ quasi susurratione irrepsit singularis affectus quem dudum pectoris mei gurgustio conclusum hoc munusculo V. V. Excell. & R. D D. publicitus sisto, & tractatum hunc qualemcunq; inscribo, non quod eo indigeatis, hoc enim esset Noctuas Athenas mittere, sed ut illô publicum meæ devotionis argumentum & paratissimæ subjectionis monumentum cognoscatis,*

*promoveatis ac mutui amoris & favoris auram benignè concedatis. Novimus Artaxerxen Regem Persarum, cum eidem fortunæ quidam tenuioris homo Syneta nomine nil aliud habens, ambabus aquam manibus è Cyro flumine sibi proximo haustam citatim obtulisset non rei quæ donabatur utilitate, sed promptâ ejus qui largiebatur voluntate, donum oblatum hilariter suscepisse ac illud æqui boniq; consuluisse. Cujus facti præstantia uti fando satis deprædicari non potest, ita V. A. Excell. ac R. D D. eodem quoq; ditatas fore ingenio nullus ambigo. Accipite ergo Viri Lectissimi hasce primitias, quas strenæ loco vobis dico ac consecro; fateor quidem esse levidenses, interim tamen tales, ut sint velut τεκμήριον quoddam, quod ad perpetuam Nominum Vestrorum recordationem in Templo Mnemosynis suspendi debuit. Cæterùm prius illic quam abirem Deum Præpotentissimum ex intimis Cordis penetralibus supplex invoco ut Vos omnes Verbi Divini Doctores & Ductores quam diutissimè salvos ac incolumes conservet, Spiritu suo regat subq; umbrâ alarum protegat, felicem Anni ingressum progressum & egressum concedat, ut ita te Unicum Dominum confiteantur, Te laudibus in Sanctuario prosequantur secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, ab hoc nunc & usq; in seculum. Valete, Favete. Dabam festinanti calamo Rostochij ex meo φροντιστηρίῳ Pridie Idus Februarij. Anno Χριστογονιας 1642.*

V. V.
Subjectissimus

M. DAVID Klug/
Tilsâ Prussus.

Klugius

KLugius argute Logicorum ænigmata ſolvit.
Oedipus alter erit: nomen & omen habet.

JOHANNES QVISTORPIUS, D.
& Th. Facult. Senior.

---

REs nunc optatis votis ſucceſſit abunde,
Dum ſtudio Logico lima ſuprema datur.
Pergito ſic mentis dotes exponere, creſcit
Fama mihi credas, nominis inde Tui.

*Ita inter occupationes Eximio Dn. M.*
*gratulari voluit*

JOHANNES COTHMAN,
S.S. Theol. D. & P.

---

KLugius en tanti menſuram nominis implet
Eſſe docens illum ſapientem, qui Logicorum
Diſputat ad normam, diſcit, docet, atq; reſolvit.
Dilige LECTOR eum, Logicumq; hunc credo laborem
Dignum laude ſuâ ſi cum ratione legatur.

M. ELIAS TADDEL S.S. Th.
P.P. & Paſtor Petrinus
Roſtochienſium.

Vin

VIn tibi dem laudis votum? vin carmina fundam?
Non multùm mellis vena senilis habet.
Sed tamen ut possum verbo tibi vota parabo,
Vota paranda Deus fac rata vota sient.
Cresce potens, defende greges apprende Jehovam
Famâ, pace, fide. Sic age, salvus eris.

GEORGIUS Klug/ *Pastor Schiffenburgensis & Totius Ministerij Borussiaci Senior.*

---

*NOmen Prudentis facto testaris abunde,*
*Des modò facta Deo, qui bona facta dedit*
*Qui bona facta dedit, semper te crescere ditet,*
*Ditet, ut æternum splendeat ipsus honor.*

Filio suo ut unico ita dilecto apposuit
JOHANNES Klug/ Pastor & Archpresbyter Ecclesiæ Riesenburgensis, nec non Consistorij Salfeldensis Adsessor.

---

TE laudas Logicæ Klugi distincta pagellis
Dum colis & servas limite quæq; suo.
Hinc brevibus dicam, doctis clarescis in orbe,
Mente tuâ nodos dissolüendo graves
Pergito; sic semper volitare per ora Virorum,
Atq; audire potes; hîc bone lector Hic est.

ANDREAS Großmann/
Pastor Drengkfurtensis.

Sæpe

*Sæpe tenet stygiis Falsum nox atra sub undis*
*Absurdos cæpit sæpe tenere sopor*
*Attamen immensùm mundi capit atria turba*
*Turba sonos promens at sine mente sonos.*
*Namq; isto absurdus descendit ab axe novator*
*Hîc Paradoxologus, fraude sophista ruit*
*Illic Thraso venit, quo non deterior alter*
*Errorem spargens sesquipedale pecus.*
*Nec tamen alma volans perijt super æthera Virtus*
*Sed micat & medio fulgur in ore gerit*
*Ut qui tentabat cœlum error rite repulsus*
*Incolat Icarias Icarus alter aquas.*
*Edocet hoc λόγος ille tuus, λόγος ille perennis*
*Klugi, quem Prussus Varnus adaperuit.*
*Nam facit ut verum scribendo, fulgure veri*
*Errorum horrisonûm plaustra carenda ruant*
*Perge, Jehova tuis cæptis benedicat, ut altos*
*Fructus percharæ ferre queas patriæ.*

M. Balthasar Mejer/ Illustr.
Scholæ Tilsensis Rector.

---

PAnsophiæ currum vectes, ubicunq́; pererras
Quem tibi Philosophus tradidit hocce libro.

*Clarissimo Dn. M. Klug mittit Argentorato*

M. Johannes Hanau.

אך טעם אמנם חגיון  לכן אתה איש נכבדות
היא מתן יקר העליון  חכם החקר נפלאות
שישר לכת רמיון  באר חשב בלתי חידות
אשר איש מסיר שגיון  כלם על קו הרעיונות
הוא אור המאיר חיון  כל קרא זכרו לברכות
שהיטיב לכתב גליון  יאמר כי כשמו בן דעות
R, K, G.  וכתב עם אנשי מדות
ושמו יצא אל כל ידות

SI ratio â brutis Homines discernit, & albo
Stultorum sanos eximit ars Logica:
Ergò dum Logicam subtili indagine tractas,
Quid mirum KLUGI, si vocitêre Σόφον?

*M. Johan. Hieronymus Staudius*
*Cammin. Pomeranus.*

---

*MIlle colunt artis Logicæ quascunq; pagellas*
*Monstra modi, nodi queîs turba scholastica captus*
*Discruciat nimium; sed quantum in rebus inane!*
*Tu Klugi, veræ Sophiæ haud. dissimilis auctor*
*Exsurgis doctâ non invidente catervâ*
*Tollens ex Logicis Phantasmata (chasmata) veras*
*Supponens istis res conflictusq;. Manebit*
*Hinc tua laus omni qui mentis acumine pollet.*

JOHANNES Bessel/ amicæ recordationis Dn. Adsini apposuit

Der

DEr hat grosse Kunst vnd Tugend/
Welcher in der Musen-feldt/
Ritterlich sich in der Jugend
Hat gehalten wie ein Held;
Solcher Ruhm muß oben schweben/
Weil wir wallen in dem Leben.
Du Herr Bruder hast gestritten
Wie ein kühner Kriegesmann
Daß man deiner hohen Sitten
Nimmermehr vergessen kan/
Deine Tugend wird man loben/
Weil die Sonne schwebet oben.
Ach wenn ich doch meine Sinnen/
Nicht bereit ermüdet hett/
Daß ich nunmehr könte spinnen
Ein Gedicht woll fein vnd nett
Welchen Ruhm wol deine Tugend
Hat verdienet in der Jugend.
So derhalben nicht wil fliessen
Meiner Reymen Lob-gedicht/
Wil ich eylends nu beschliessen
Deiner Tugend helles Liecht.
Deine Kunst wird nicht vergehen/
Sondern ewig bleiben stehen.

Solches wünschet seinem allerliebsten Freund

Christianus Schnepffmöller/
aus Preussen.

TE

*TE procul aufugit perturpis inertia Klugi,*
*Sunt tibi tres Comites, Gloria, fama, Decus.*
*Gloria fit celebris; volitat super æthera pennis*
*Fama potens, tollet te super omne decus.*

Idem.

---

ES clarus, Logices aperis dum bellè receſſus
Undè tibi Pallas nobile nomen alit.

*Andreas* Engelbrecht/
*Tilsâ Prutenus.*

---

*LAudibus â doctis mactatus ut eſſet Apelles*
*Artis quod dederit ſpecimen ipſe ſuæ.*
*Ecce venit quidam taxans præconia laudis,*
*Inquinat & Stolidus Sutor Apellis opus.*
*Multa tibi cumulas etiam præconia laudis*
*Abdita dum Logicæ dexteritate refers.*
*Hinc licet adfuerit vitioſus Momus, ut ipſe*
*Taxet id artis opus, ſemper inanis erit.*
*Stultus ſtulta ſibi ſapiat; tua munera mentis,*
*Clugi, ſunt doctis ſemper in delitijs.*
*Perge igitur Scriptis doctis nec retrò vocêre,*
*Sed dapibus lautis perge favere, decus.*
*Sic quoq; non minimas qui condimenta paraſti*
*Docta, tibi laudes clare Magiſter ales.*

Caſparus Samland.

ANTI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0016
DFG

# ANTILOGIA I.



Præcognita Disciplinis sunt necessaria: Et Præcognita Disciplinis non sunt necessaria.

Respond. CHRISTOPHORO CLEVINGIO Gryphisvv. Pomer.

DIst: voces ex parte tùm Subjecti, tùm Prædicati occurrentes. *Circa Subjectum* dantur *Præcognita*, quæ sunt vel ὀρεκτικὰ *vel* διδακτικὰ; illis amabilitas disciplinæ conciliatur utilitate, necessitate, antiquitate; his generalis disciplinarum natura notificatur potissimùm definitione & partitione. *Circa Prædicatum* evolvenda sunt *Disciplina* & *Necessarium*. *Disciplina* sumitur vel ὁλικῶς pro complexo totali integri tractatus, vel μερικῶς pro præceptis disciplinæ πρὸς λεγομένοις contradistinctis. *Necessarium* aliud est *simpliciter tale* quod ad Disciplinæ constitutionem absolutè requiritur, aliud est tale ὑποθετικῶς, quod tantum facit ad melius esse alicujus disciplinæ. His tanquam fundamenti loco jactis, distinctis per conciliationem conclusionibus totius controversiæ nervum tangemus. Sit ergò.

Concl: 1. *Præcognita* ὀρεκτικὰ *in Disciplinâ* ὁλικῶς *&* μερικῶς *consideratâ non sunt necessaria simpliciter,*

Quia [1.] neq; *perfectè*, neq; *imperfectè* naturam Disciplinæ explicant, *non perfectè*, quia perfecto nihil potest addi, si *imperfectè*, omitti possunt, & sic simpliciter non sunt necessaria [2.] quia absq; his ad integram disciplinæ constitutionem pervenire valemus. At quod constitutionem disciplinæ essentialiter non ingreditur, illud eidem tanquam non necessarium apponitur. [3.] quia nihil aliud sunt, quàm jucunda quædam præparamenta Disciplinæ ad demulciendum animum auditoris, quæ salvâ disciplinâ abesse possunt;

jam verò oblectans rerum præfatio, quamvis de Disciplinæ sit jucunditate, tamen de ejusdem non est necessitate, inquit Zetner: lib. de præp. phil. c. 4.

## Concl. 2. *Præcognita διδακτικὰ in Disciplinis partialiter consideratis tantùm secundum quid sunt necessaria, non autem simpliciter & necessitate absolutâ.*

Dico I. *καθ' ὕστερον πρότερον, non necessitate absoluta*, quia [1] ad tractatum disciplinæ tanquam pars illius non conferunt, eò quod *quidditativè* h. e. distinctè, perfectè, solidè in essentiâ suâ cognosci queat hâc ratione Disciplina absq; ope & beneficio præcognitorum, quia [2] nemo eadem perfectè cognoscet, nisi prius habitualiter integram rei naturam perceperit, qualis cognitio in artis ignarum non cadit. Dico II. *necessitate conditionatâ*, *tùm* quod disciplinam velut in aprico tradunt, quibus animus auditoris generali cognitione imbuitur ac majori docilitatis ardore accenditur, *tùm* quod hâc ratione systemata disciplinarum ab aliis auctoribus adornata eò faciliùs assequi possint; *tùm* ut uno quasi intuitû conspiciatur, & ὡς ἐν τύπῳ repræsentetur, quid in futuro tractatu expectandum sit; *tùm* etiam quod πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ τῆς παρχούσης γνώσεως Ar. l. post. anal. c. 1. t. 1.

## Concl. 3. *Præcognita διδακτικὰ in Disciplina ὁλικῶς considerata, sunt necessaria simpliciter.*

Prob. 1. *à præcognitorũ inscriptione* quæ à Philosophis omnibus in disciplinâ inscribuntur nomine naturæ atq; essentiæ disciplinæ: atq; hâc ratione omnes uno quasi ore fatentur, præcognita esse de essentia disciplinæ. Sic acutissimus Philosophus Jacob. Zab. huic sententiæ aliàs contrarius, libros duos in quibus proœmium ad tractationem instituit, de Nat. Log. inscribit. 2. *à Disciplinarum conditione*, quæ methodum expetunt generalem, si notitiam distinctam commonstrare velint. At verò absq; præcognitis dictis methodus Disciplinæ

plinæ in tractatû non investigatur, dùm tantùm partes exhibeat, totum verò non commonstret. Cum itaq; tractatus totum non commostret, præcognita simpliciter erunt necessaria, utpotè quæ totum in suas partes resolvunt. Sicuti autem partes totum suum constituunt, & propterea toti sunt essentiales: ita quoq; præcognita divisionem exhibentia diviso erunt essentialia. 3. *à præceptorum incompletâ tractatione*, si quidem sub illis præcognitis hâc ratione definitio & divisio omitterentur, quæ tamen sunt necessaria præcepta disciplinæ ejusdem essentiam declarantia, non secus ac domus undiquaq; perfecta & vestibulo constat & partibus cæteris: sic etiam disciplinæ totaliter consideratæ constant præcognitis διδακτικοῖς & partibus disciplinam partialiter sumptam integrantibus. conf. J. M. in disc. Ram. l. 1. c. 1. quæst. 1. p. 8. *Cruf.* disp. Log. 1. probl. 1. c. 1. *Dn. M. Eisl.* probl. Log. 2. p. 2. & Palæst. Log. conf. 1. in prodidagmatib. p. 1.

## ANTILOGIA. II.

### Definitio & Divisio, Logicæ est præponenda: Et Definitio & Divisio Logicæ non est præponenda.

Dist. I. inter *Definitionem & Divisionem* spectatam vel *absolutè* & in actu signato quid sit Definitio & Divisio præcisivè considerata; vel *respectivè* & in actu exercito, quando cujuslibet disciplinæ definitio & divisio perpenditur. Dist II. in *Logicam* quatenus spectatur partim *doctrinaliter & exhibitivè*, quà nudam præceptorum expositionem integrum Disciplinæ corpus constituentem, partim *judicialiter & executivè*, quà specialem controversiarum pertractationem tractatum Logicum præfigentem. Dist. III. inter *præponi & postponi*, quatenus attenduntur aut penes *ordinem naturæ*, eumq; vel *totalem* & omnimodum, vel *partialem* aliqualem & inadæquatum, aut penes *ordinem doctrinæ*.

Concl. 1. *Definitio & Divisio penes actum signatum absolutè in Logicâ doctrinaliter consi-*

*siderata, non sunt præponenda neq; postponenda quoad ordinem naturæ & doctrinæ.*

Prob. Quicquid est medium Logicum actum intellectûs nostri dirigens in veritatis consecutionem, illud in Logica est pertractandum. Atqui Definitio & Divisio in actu signato spectata sunt media Logica. Ergò in Logicis erunt pertractanda. Hoc quia certum de illis tractatio instituetur aut *in primâ* aut *in secundâ* aut *in tertiâ mentis functione*. Non *in secunda & tertia*, uti paulo infrà pertractabitur Ergò. in prima mentis operatione eorum erit sedes. Si igitur consideratio Defin. & Divis. pertractanda in prima mentis operatione, fiet id vel ut sunt *termini incomplexi*, vel ut sunt *complexi*. Non autem ut *incomplexi*, involvunt enim complexionem duorum conceptuum. Ergò complexi. Atq; sic in Log. non sunt præponenda neq; postponenda, sed velut in meditullio Logicæ interponenda.

Concl. 2. *Definitio & Divisio respectivè in Logica judicialiter & executivè tantum consideratæ non itidem præponenda sunt ac postponenda.*

Prob. quia sic scriptori propositum est agere de controversiis extra applicationem præceptorum spectatis, quæ cum specialiter singula non evolvantur, utiq; neq; Definitio neq; Divisio Log. seriò scrutanda erit juxta methodum necessariam, propterea quia omnis methodus requirit conformitatem tùm præceptivam, si sit præceptorum; tùm controversivam, si sit controversiarum; in illa enim ut præcepta sedulò sunt constituenda, ita in hac unicè controversiæ sunt expendendæ sine præceptorum investigatione, eò quod totum systema suis partibus integratum constans τάξει, συμμετρίᾳ καὶ ὠρισμένῳ heic non intendatur.

Concl. 3. *Definitio & Divisio respectivè in Logica tùm doctrinaliter, tùm judicialiter consideratæ, sunt præponenda quoad ordinem doctrinæ, non quoad ordinem naturæ.*

*Patet prius, partim* quod semper à notioribus ad ignota est progrediendum. At verò Definitio & Divisio Logices semper sunt notiora nobis, eo quod res non appetatur si non prius generaliter prænoscatur: *partim* quod ante tractationem prægnoscendum venit & quod sit res pertractanda, & quid sit Ar. l. 1. post. anal. c. 1. τί ὅστι verò nihil aliud est quam Definitio, quæ est oratio, quâ quid res sit significatur. Ar. l 2. post. anal. c. 3. & 7. Item l. 1. Top. c. 2. l. 2. Met. c. 5. t. 19. *Patet posterius*, quia Definitio & Divisio absq; cognitione totius scientiæ vel artis percipi non possunt. Nam cum Definitio monstret ipsam essentiam & quidditatem artis perfectam & integram, Divisio verò totam disciplinam distinctè adumbret & explicet, tùm demùm ista percipimus, quando totam artem intelligimus.

## ANTILOGIA III.

### Logica derivatur ἀπὸ τῦ λογίζεσθαι: Et Logica non derivatur ἀπὸ τῦ λογίζεσθαι.

Dist. I. inter *derivationem nominis* alicujus *remotam* & *propinquam*. Dist. II. inter τὸ λογίζεσθαι quatenus acipitur 1. γενικῶς prout cognitionem discursivam, quâ minus notum ex notiori colligitur, designat. 2. ἰδικῶς prous quamvis cognitionem intellectualem denotat.

### Concl. 1. *Logica remotè derivatur* ἀπὸ τῦ λογίζεσθαι *prout illud generaliter acceptatur.*

Confirmat hoc 1. *Nativa vocis acceptio*, quæ primariò ratiocinationem seu tertium mentis actum, secundariò autem omnes mentis functiones denotat, eò quod præcipuè discursum in veritatis imbuitione informet. Itaq; cum remotè tantùm ab eâ derivetur Logica, itaq; & denominationem ab eadem propinquè nequit haberi, qualis enim vocum est derivatio, talis etiam datur denominatio. 2. *Genuina Polyonymiæ affectio*, quæ requirit ut in desumendis vocum æquivocatarum derivationibus semper vox polysyllabica cedat illi, quæ pauciori syllabarum serie afficitur, à quâ si modo voci apprimè attribui queat, propinqua denominatio est assumenda.

Siquidem à quo quid proximè derivatur, ab eodem etiam denominatur. 3. *Consueta vocis ad syllogismum traductio.* Etenim omnes ferè Peripatetici hanc vocem ad solum syllogismum plerumq; traduxerunt, ob cujus crebram reiterationem tandem eidem soli propinquè attribuitur, eò quod magnam cum derivatione syllogismi affinitatem alat.

## Concl. 2. *Logica ἀπὸ τοῦ λογίζεσθαι specialiter illud accipiendo propinquè non derivatur, sed tantum à λόγου.*

*Prius prob.* quia Logica omnes operationes mentis tanquam suum adæquatum objectum contuetur, quæ cum indifferenter sub verbo λογίζεσθαι specialiter accepto non comprehendantur, utiq; propinq; ab eodem derivari haud poterunt, uti in *concl:* 1. dictum. Esse autem omnes mentis operationes Logices objectum generatim sic stabilimus. Omnes tres mentis operationes sunt veritatis in cognoscendo defectusq; circa veritatem capaces. Ergò quoq; dirigibiles. Minor constabit ex disp. 3. *Posterius prob.* quia triplex mentis actus artificialiter dirigibilis terminatur ad λόγον prout is est non 1. *divinus* sivè sit ὑποστατικὸς substantialis & subsistentiæ, quomodo attribuitur secundæ personæ Divinitatis Joh. 1, 1. sivè ἐνεργετικὸς virtualis & potentiæ, quâ ratione accipitur Matth. 8, 8. sivè διακονικὸς ministerialis & gratiæ, de quo Jacob. 1, 21. Sed 2. *Humanus* quatenus hîc includit λόγον *tùm* προφορικὸν *oralem* seu prolatum, tum γεγραμμένον *literalem* & exaratum, tùm ἐνδιάθετον *mentalem* & innatum, hunc primariò, illos non nisi secundariò intendens. At verò λόγος humanus triplicem actum totaliter exhaurit, id quod de quovis speciatim quit subsumi. Ergò.

## ANTILOGIA IV.

## Logica orationem externam includit: & Logica orationem externam non includit.

Dist. I. inter *Logicam* penes originationem vel *principaliter* vel *minus*

*minus principaliter* spectatam. Dist. II. inter *inclusionem positivam* seu perfectionis, quæ ob perfectitudinis complementum inseparabiliter nequit divelli: & inter *inclusionem privativam* seu separationis, quæ quidem in se potest separari, attamen in connotato in primis necessitatem infert.

## Concl. 1. *Logica minus principaliter spectata orationem externam includit privativè.*

Prob. Quia omnis mentis defectus est curandus, qui cum triplex sit videl: 1. *aberratio*. 2. *obscuratio*. 3. *inordinatio*, triplicia curandi media deposcit quæ Logica mederi tenetur; quandoquidē illa medela per directionem intellectus in veritatis acquisitione obtinetur. Quævis igitur *directio* fit vel *circa voces* vel *circa res vocibus substratas*, hæ autem cū proximè accedant ad intellectū, erunt principaliter dirigibiles, illæ autem cum veritatis & falsitatis sint capaces, saltem secundario & minus principaliter dicente Arist. lib. de interp. c. 1. sequitur easdem à Logica similiter esse dirigendas, quamvis cum illis non æquè primo. Ut verò data conclusio eò melius manifestetur, duo adhuc in eadem notanda erunt, I. *Logica orationem externam includit*. Prob. (1.) quicquid internorum actuum est signum & interpers, illud à Logica dimittendum non est, quia omne signum cum signato correspondere debet ob mutuam terminorum relationem, quorum ubi unus est, ibi & alterum adesse necesse est, & ob id consequenter à Logica dirigendum. (2) oratio externa refertur ad Log. per ordinem ad rationem, cum potissima rectitudo ob illam perficitur. Omne autem perficiendum à rectitudine mentis agnoscit subjectum perficibile, quod in Logica est peragendum. II. *Logica orationem externam includit privativè*. Si enim positivè includeretur, utiq; à Logica foret inseparabilis simpliciter, atq; sic non minus principaliter, sed principaliter ab eadem esset dirigenda, quod absonum, quia mutus potest esse Logicus & ratiocinari habitualiter, licet discursum oretenus proferre nequeat.

## Concl. 2. *Logia orationem externam principaliter non includit positivè.*

Non 1 *principaliter*. Logica enim est disciplina rationis, quam dirigit

dirigit in acquirendâ veritatis cognitione, non autem orationis, nisi secundariò. At Disciplina potissimùm ab Objecto circa quod occupata est denominationem principaliter adipiscitur. Non 2. *positivè*, quicquid enim superari potest ab aliquâ re, id eidem includi positivè non potest. Ratio connexionis est, quod positiva seu perfectionis inclusio denotet rem inseparabiliter divellendam, quod cum de oratione externa affirmari haud possit, uti antea probatum, sequitur quod illa positivè in Logicâ includi nequeat. Si tamen uti æquivocatione malueris in voce perfectionis; distinguas oportet inter *perfectionem indigentiæ* quæ facit ad esse simpliciter, & inter *perfectionem expedientiæ* quæ facit ad esse melius, quâ posteriori ratione oratio externa à Logica erit adhibenda. Et quamvis illa etiam à reliquis Disciplinis intendatur, fit tamen id non uniformiter, sed diversimodè. Nam Logica eam intendit sub *veritatis manifestatione*. Garmmatica sub *puritatis ratione*. Rhetorica sub *venustate soluta*. Poëtica sub *venustate ligata*. Conf. Scal. l. de c. LL. c. 1. Zab. l. 2. nat. Log. c. 16. Plat. l. 16. in Phæd.

## ANTILOGIA V.

### Logica naturalis, Logica dici potest: & Logica naturalis, Logica dici non potest.

Dist. I. inter *Logicã* in sensu *proprio* & rigoroso acceptã, & inter *Logicã in sensu laxo* & improprio sumptã. Dist. II. inter *vocẽ Naturalis*, quæ h. l. sumi potest vel *perfectivè*, pro eô quod naturã juvat & perficit, vel *transitivè*, pro eô, quod à natura omnibus hominibus innascitur; in quâ significatione reperitur apud Ar. l. 1. Rhet. c. 1. & l. de Soph. elench. Omnes enim idiotæ ait quodammodo utuntur Dialectica. Dist: III. inter DICI de alio, quod accipitur vel *accidentaliter* & *denominativè* tantum, penes actum enunciandi, vel *essentialiter ac inclusivè* penes actum essendi cum respectu denominationis. Unde sit

### Concl: 1. *Logica naturalis perfectivè sumpta Logica naturalis non est.*

Prob. Mens nostra naturali propensione ad sui perfectionem ducitur, Perfectio hæc in veritate consistit, hâc enim acquisitâ ceu fine

fine ſummo & ultimo conquieſcit. At veritas quia in ultimis rerum thalamis abſcondita deliteſcit, neq; menti ſtatim obvia eſt, perfici cupit à Logica artificiali, quæ cum à naturali ſit contradiſtincta, Logica naturalis dici non poteſt: quia, *quæ differunt ſpecie, differunt realiter*, realiter autem diſtinctorum identifica prædicatio dari nequit. Quod autem Habitus & Diſpoſitio ſpecie differant, patet, quia datur quædam diſpoſitio, ad quam ſpecies ſenſiles & intelligibiles ſaltim leviter impreſſæ, item actus animæ immanentes reduci poſſunt, quæ Diſpoſitiones non tantum accidentaliter ſecundum perfectum & imperfectum, ſed & eſſentialiter quodammodo differunt.

## Concl. 2. *Logica naturalis tranſitivè ſumpta in ſenſu rigoroſo & proprio non poteſt dici Logica eſſentialiter.*

Patet, quia Logica in *ſenſu proprio* dicit *qualitatem* naturæ ſuper additam crebris exercitiis acquiſitam, hominem ad agendum facilitantem. Logica autem naturalis dicit tantum *potentiam ratiocinandi*. Ibi eſt ſub habitu, hìc ſub diſpoſitione. Itaq; cum & habitus & diſpoſitio ſit in qualitatis ſpecie prima, utiq; una harum Logicæ erit attribuenda. Cui enim attribuitur genus, eidem attribuitur ſpecies ſub disjunctione. At quia Logica, propriè dicit habitum utiq; Logica naturalis in ſenſu rigoroſo, Logica eſſentialiter dici non poterit.

## Concl: 3. *Logica naturalis perfectivè ſumpta in ſenſu improprio dici poteſt Logica denominativè tantùm.*

Prob. quia improprio ſenſu voces habituum ſolent attribui diſpoſitionibus & rebus, cum quibus ſimilitudinem alunt. Sic quidam puer canere incipiens ſaltem difficulter, ille dicitur canere poſſe: ſimili modo ſe res habet cum Log. naturali, quæ licet diſpoſitio ſit, attamen propter inchoamentum & approximationem habitus ipſius naturam induere tentat. Porrò quia Logica naturalis cum artificiali in eodem reſidet ſubjecto inhæſionis, in quo utraq; perficitur, & inter utramq; magna detur cognatio, utiq; accidentaliter unã ab altera hoc ſenſu denominari poſſe nil repugnabit.

## *An Lycanthropia sit posßibilis?*

Non hîc quæstio instituitur de potentia divina, sed de potentia dæmoniaca, de qua dubium occurrit, utrum Lycanthropia & Metamorphosis possibilitatem obtineat? Negamus nos. Si enim possibilis foret, esset illa aut verè *transmutatoria* aut *delusoria*. Non autem *verè transmutatoria* eveniret enim hocce, aut *naturaliter* aut *supranaturaliter*. Non *supranaturaliter* quia ad transmutationem supranaturalem requiritur annihilatio, & immediata creatio quarum neutra in Diabolum cadit, utpote cum finitæ sit virtutis & potentiæ. At potentia finita ad infinitam se non dimittit operationem. Modus quippè operandi sequitur modum essendi, & finitum quod est in essentia, finitum quoq; sit oportet in potentia. Non *naturaliter*, admitteret enim hanc transformationem aut *materia hominis*, aut *forma*. Non *Materia*, hæc enim, partim ad certam formam est determinata in certo modo, certâ quantitate ac debita dispositione & qualitate, partim à certâ forma substantiali est designata, siquidem omnis actus definitus requirit subjectum definitum cum quævis forma definiat ac circumscribat subjectum. Non *Forma*, illa enim aut *manet*, aut *interit*. *Non hoc*, quia 1. anima foret mortalis, quod absonum, quandoquidem in nihil, secundum naturam corrumpi nequeat, quia inter aliquid & nihil, infinitum est intervallum quod non potest expleri nisi ab infinito. quia 2. concessa interitione anima non rediret. *Non illud*, siquidem aut *in proprio quô fuit*, *manebit receptaculo*, aut *soluta ab hoc in aliud tamdiu corpus migrabit*. *Non primum* sequeretur enim quod rationale fieret irrationale quod maximam involvit contradictionem, quia Differentiæ oppositæ in eandem speciem cadere nequeant. *Non Posterius*, quia quælibet forma substantialis ut suum esse tribuat informando, peculiares requirit & convenientes sibi dispositiones, item organi Zationem corporis propriam, nam ἄλλῳ εἴδει, ἄλλη ὕλη. Ergo *erit delusoria*, quæ contingere potest 1. *Hominum vitio*, quo appetitus eorundem in beluinum perversa ratione convertitur & triplicem habet causam, quæ est (1) *Humanorum morum in beluinos degeneratio* de quâ videatur Plin. *l.* 5. c. 8. & lib. 6. c. 17. (2.) *Gravißima corporis morbi-*

*morbificatio*, quâ Phantasia vehementer vitiata, ob humorum pravitatem fædæ excitantur persuasiones. Exemplum hujus recitat Georg. Sabin. in interp. metam. Ovid. l. 7. de rustico in Borussia. (3.) *Diuturna debacchatio*. Sic Cleomenes Spartanorum Rex ex longâ cum Scythis helluatione eò dementiæ & feritatis processit, ut proprios sibi artus ferro obtruncarit. Camer. cent. 1 medit. c. 72. 2. *Dæmonum sævitiâ & præsidio*, qui tribus potissimùm modis homines illudunt [1.] *verum objectum removendo*; quòmodo Monachus quidam ope Dæmonis, Rustico Erphordiæ visus est currum & equos devorare, quos tamen salvos extra urbem invenerat. Hinr. Nicol. in Ἀλασκεψ. phil de mag. act. th. 17 [2.] *Sensus hominũ pervertendo*. Sic Johan. Faustus Cudling. rogatus à nonnullis ut vitẽ racemis plenã exhiberet, obtemperans ille, isti cũ uvas rescindere vellent, Faustus errorem detegens, visi sunt sibimet ipsis nasus cultello supernè appositio abscissuri. [3.] *Falsum & phantasticum objectum substituendo*. Sic Comes quidam Aspremontensis homines magnificè tractare solitus fuit, qui postmodùm dimissi, fame & siti oppressi fuerunt. Bodin. l. 2. dæm. c. 4. Camer. cent. 1. c. 72. Ex hisce haud difficulter judicium ferri potest de Lycanthropis, agit enim hoc ipsum Diabolus vel *per ferarum induvias circumdationem* juxta quosdam, si videl: contingat quod homines isti ex loco custodito astutiâ diabolica non sint educti nec ullibi collocati; vel *per corporũ substitutionẽ*, dũ illis absentibus & in aliquo loco soporatis Dæmon assumpto lupi corpore circumambulat, ut hinc homines à dormiente & absente patrata existiment, ac membra hominum cum corpore falso correspondisse animadvertentes, in bestias transmutatos esse certò sibi persuadeant, cũ tamen mera sit deceptio. Confirmari hoc ipsum potest exemplo Rustici illius, qui cum filio adolescente in symposio potitans, limis observat hospitam, mensuras cerevisiæ, quam propinabat bifurcâ cretâ notantem, dissimulat nihilominus: interea dum compotatio solvitur, tum hospitam vocat, ut calculum expensi subducat, petit ista quantum creta notarat, negat ille, & multis ultrò citroq; jactis convitiis, pecuniam offert, quam sufficere sciebat & discedit. Stomachabunda hospita, tu verò ait, non hinc hodiè poteris domum, vel non ego quæ sum: abit ille, contemnens minas; Ubi pervenit

venit ad fluvium, in quo scapham reliquerat, nequit unà cum Filio admodum valido summâ ope eam à ripa contis depellere. Fortè duo tresvè milites illac iter habebant, compellat rusticus, & contubernales, clamat, agite ferte suppetias, ut hunc lintrem de ripa deducamus. Parent & ingressi, quantum possunt, protrudunt: sed frustrà, anhelus unus & sudans, quin sarcinas & onera hæc efferamus, inquit, fortè vacuum commodius deducemus: & quidem mercibus depositis, vident in sentina ingentem bufonem scintillantibus oculis eos intuentem, non tulit unus militum, sed gladij cuspide perforatum in aquas ejecit, ille quasi exanimis in tergum provolvitur, ventre resupinato, vulnera natitanti imponunt cæteri alia, & repentè navis solvitur. Lætus rusticus auxiliatores milites ad idem unde recesserat, hospitium reducit, potum petit, præbet ancilla, quærit ille ubi hospita, audit pessimè habere, & animam in lecto agere. Quid inepta, ille, ebrium me putas? vix media pars horæ elapsa, cum ego illam isthinc sanam & malam, qualis tu, dereliqui. Rusticus ergò imperterrite, sermocinationis serram cum muliere de actis & factis non dudum habitis citrà cunctationem reciprocaturus, quid hoc rei, intrat in thalamum, invenit collum & ventrem vulneribus confossam, laceramq; expirasse. Unde hæc exclamat vulnera? nescire se profitetur ancilla, nec domo illam, quod sciat, pedem extulisse. Itur ad Magistratum, vulnera cæsim punctimq; illata inveniuntur iisdem in locis, quibus bufonem qui nusquam comparebat, milites effecerant. Vid. *Binfeld.* de confess. malef. concl. 3. *Remig.* l. 2. dæmonolat. c. 5. *Anonimus* in Trino Magic. p. 45. & 46.

*Cur Ramusculo ab arbore dissecto Arbor non arefit?*

Resp. quia Spiritus arborificus radici propriè hæret infixus, qui ab eâdem, licet vulnere egressus pateat ob materiæ suæ tenacitatem, non discedit: quin potius ex doloris sentitione discontinuationem metuens sese recolligit, quò hosti ad aperturam resistere queat; cum verò multâ humoris copiâ investitus adstet, deprehenditur à frigore externo, cujus virtute humor concrescens, viam ex crustelæ vulneri obductæ concretione hactenùs patentem Spiritui præclu
dit, ut tùm fugam capere requeat, atq; ita are-
factionis non detur locus.

# ANTILOGIA I.

## Dialectica Synonymum Logicæ est: Et Dialectica Synonymum Logicæ non est.

Disp. II. *Respond.* Caspar Samland/ Regiomont. Prusſ.

DIſt: I. inter vocem *Dialecticæ* ſumptam vel 1. *laxè* pro omnibus diſciplinis inſtrumentalibus, quæ circa λόγον verſantur, in quâ ſignificatione illius partes conſtituuntur, Gram: Rhet: Poëſ: quæ genere quidem conveniunt, eò, quod omnes circa λόγον ſint occupatæ, adeoq; & artes dialecticæ dicuntur, ſpecie verò diſcrepant, quia orationem ſub diſparitate conceptus communicant, prout viſum eſt, diſp: 1. Antil. 4. circa finem: 2 *Preſsè* pro doctrinâ diſſerendi ex probabilibus, quâ ratione accipitur apud Ar: l. 1. Top: c. 4. item 5. Top. c. 1. & 2. poſt: anal: c. 8. 3. *Propriè* pro habitu intellectus, functiones in ſcrutinio veritatis dirigente. Diſt: II. inter *derivationem* Dialecticæ â Διαλέγεσθαι deſumptam vel *generalem*, quâ ignotũ ex notiori quocunq; modo deducere ſignificat, ac omnem intellectus actum importat; vel *ſpecialem*, quando unius cum alio collocutionem ſignificat Sit ergè:

### Concl: 1. *Dialectica laxè & preſsè ſumpta, quæ derivationem Logicæ ſpecialem inſequitur, Synonymon Logicæ non eſt:*

*Prius prob:* quia in dijudicandis vocum æquivocatarum ſignificationibus, nunquam illa rei attribuenda eſt ſignificatio, quæ eidem convenit abuſivè & remotè, ſed quæ propriè rem exprimit. *Poſterius* pateſcit, quia hâc ratione ſumitur, aut συνεχδοχικῶς aut καταχρηστικῶς quâ differt ab ipſa Logica, vel ut incluſum ab includente, vel ut pars habitualis integralis â ſuo toto, uti patet, quia Logica totam facultatem ratiocinandi non informat, aliter enim ſe habet ad

*res necessarias* & apodicticas, ubi *immutabilis rerum scientia*, aliter ad *probabiles* & dialecticas, ubi *probabilis quæsitorum evidentia*, aliter *ad falsas*, speciem veri habentes seu soph. sticas, *ubi resolubilis fallacium materiarum sufficientia.* Jam verò Dialectica hâc ratione sumpta tantùm regit rationem, circa res credibiles & opinabiles occupatam. Igitur Logicæ Synonymum esse impossibile est. Et hoc sensu Plato de Republ: c.7. dicit: dialecticam esse artem dandi & accipiendi, cum quâ acceptione consentit etiam Aristoteles l. 1. Top. c.1. & L.1. pr: anal: c.1. item l.1. Elench. c. 1. & alibi.

Concl: 2. *Dialectica propriè accepta Synonymum Logicæ est quà derivationem verbi* Διαλέγεσθαι *generalem intendit.*

Prob: tum *in genere*, quia ignotum ex notiori quocunq; modo deducere, ac omnem mentis actum importare est logici peculii eidem adæquatè respondens: *tum in specie*, 1. *ab antiquitate* quia id nomen post Zenonem Eleatem à Platone est adhibitum huicq; disciplinæ adaptatum; At primæ votis impositiones pro proprijs habentur & venditantur. 2. *Ab Aristotelis authoritate*, qui integram disciplinam hâc voce insignivit l. 1. Rhet: c. 1. item l.1. Soph: Elench. c. 2. t. 2. 3. *A majori probabilitate*, quia præ logica prærogativam obtinet, eò, quod Dialectica *substantivè*, Logica neutiquam apud Ar: Subst: sed tantùm vel *adverbialiter* l. 1. post. t. 148. & 153. vel c.22. t. 1. & 22. vel *nominaliter adjectivè* cum substantivo, vel subintellecto vel expresè addito l. 2. post: anal: c. 7 t. 3. l. 2. de gen. anim: c. 8. Top. c. 3. Phys c.3. t.19. lib.1. top: c.14. t. 9. 5. lib.1. t. 9. deprehendatur. Jam verò omne substantivum adjectivo dignus est, interea tamen quia Logica tantis vocum difficultatibus non est implicata quam Dialectica, quin etiam per illam primo intuitu disciplina notionalis designetur ac pro voce canonisata habeatur, primariò Logices vocem potiùs acceptandam putamus, dialecticam autem non nisi secundariò quamvis utraq; verè ac propriè dicatur.

## ANTILOGIA. II.

Organon pro Logicæ Synonymo haberi potest: Et Organon pro Logicæ Synonymo haberi non potest: Dist:

Dist: inter vocem *Organi*, quod potissimum triplicitèr accipitur 1. *latè*, idq; (1.) *abusivè* pro qualibet disciplina, in quâ acceptione dicuntur Organa mentis apud Ar. probl. 5. s. 30. (2.) *metaphoricè*, sic attribuitur tum rebus *animatis*, qnâ ratione animæ nominantur apud Plut. Ὄργανα ζῶντα καὶ φρονοῦντα; tum *inanimatis*, sic sydera dicuntur Ὄργανα χρόνου apud Plat: in Tim: 2. *strictè*, ac ita vel (a) *technicè* pro instrumentis manuariis, quô sensu instrumenta musica nominantur Organa juxta Plut: item instrumenta bellica juxta Athen: l. 5. vel (b) *Philosophicè*. tum *generalitèr* & physicè uti in corpore animato, jecur, cor, auris, Organa dicuntur; tùm *specialiter* & Logicè pro instrumento ad veritatis investigationem faciente:

## Concl: 1. *Organon in Sensu lato quocunq; modo sumptum Synonymon Logicæ non est.*

*Probatur*: quia in significationibus Vocabulorum videndum est, non quid hoc vel illo respectu aliquid de aliquo dici possit, sed quid in se suâq; naturâ res significari debeat Licet enim Organi abusiva significatio Logicæ adaptari queat, tamen illa rem in suo esse non exprimit, sed tantùm eandem accidentaliter afficit. At quod rei per accidens convenit id illi propriè attribuendum non est.

## Concl: 2. *Organon in sensu stricto sumptum ominò Synonymum est Logicæ.*

Quicquid enim in veritatis investigatione ad alias disciplinas parandas tanquam instrumentum adhibetur, illud est Organon; at tale quid est Logica E. Et quamvis etiam reliquæ Disciplinæ instrumentales Organa dici possint, fit tamen illud non πρώτως sed δευτέρως, quandoquidem sola Logica hunc titulum obtinet ἐξοχικῶς ut non immeritò ob id dicatur Ὄργανον Ὀργάνων, idq; tum ob *dignitatem*, dum instrumentaliter præ reliquis supereminentiam obtinet, tum ob *ejus generalitatem* quam in omnibus disciplinis Philosophicis & superioribus facultatibus abundè præstat. Nec his eximitur Theologia, cum enim illa τῷ λόγῳ ὑποτυπώματα omnibus applicari queant disciplinis, certè Theologia ab his excludi non

 poterit,

poterit, utpote cum insignem in ea præsent usum, qui ratione finis esse potest vel διδασκαλικὸς, partim in argumentorum confirmatione partim eorundem apta cohæsione, vel ἐλεγκτικὸς in vitiosorum argumentorum resolutione & captiosa inquisitione, vel ἐξηγητικὸς in locorum Theologicorum explicatione & collatione, de quibus alibi volente Deo tractandum erit.

## ANTILOGIA III.

### Logica χεὶρ τῆς φιλοσοφίας rectè appellatur: Et Logica χεὶρ τῆς φιλοσοφίας non rectè appellatur.

Dist: I. Inter *Logicam* spectatam vel *idealiter* & in essentia, quâ Logica præcisè sistitur absq; applicatione cujusdam authoris; vel *individualiter* & in existentia puta ad Logicam Arist. Dist: II. inter *Logicam*, quâ consideratur vel *quoad primam vocis impositionē*, vel quoad *hujusdem ad alium usum transumptionem*: Dist: III. inter *appellationem Logicæ* aut penes *appropriationem specificam* & principalem aut penes *appropriationem genericam* seu minùs principalem acceptam.

Concl: 1. *Logica individualiter quà primam vocis impositionem spectata, rectè* χεὶρ τῆς φιλοσοφίας *appellatur*:

Patet, quia logica primitùs inventa tantùm ex principiis naturalibus fuit extructa dum philosophiæ originaliter ex naturæ suæ aptitudine & intima essentia πρώτως inservire debebat. Ethnici enim cum rerum Theologicarum cognitionem intimè non noverant, Logicam ædepol perfectam in se essentialiter consideratam ad posteros transmittere non potuerunt, videntes enim quod ratio se suis actibus progredi permittat ad res naturales, Logicam ex principiis naturalibus extruendam summo studio intendentes inchoarunt, inchoatam elaborarunt, elaboratam deniq; omnibus Philosophantibus reliquerunt:

Concl: 2. *Logica idealiter quà ampliationem & transumptionem spectata* χεὶρ τῆς φιλοσοφίας *penes*

*penes appropriationem genericam non rectè appellatur:*

Monstrat id 1. *Objecti dirigibilitas*, quod non tantùm in Ente Philosophico, sed quovis Ente intelligibili instrumentaliter operatur, quin igitur in quovis scibili adhibendum sit non dubito. 2. *Finis generalitas* ut est veritatis cognitio propter quam omnis operatio Logica instituenda. At verò hæc non tantùm Philosophiam sed & superiores facultates peragrat; igitur in omnibus ut operetur sedulò inculcandum. Tam latè enim patet usus quam latè patet finis hujusdem. 3 *Noëmatum Logicorum habilitas*, quæ in omni disciplinarum genere adhiberi possunt, habent enim potentiam obedientialem, unde facilitate quâdam omnibus materiis, in monstranda connexionum veritate, succurrere possunt.

## ANTILOGIA IV.

## LOGICA ars dici potest: & LOGICA ars dici non potest.

Dist: I. Inter *Logicam* sumptam vel *habitualiter* ratione essentiæ: vel doctrinaliter & *systematicè* prout ad præcepta libris comprehensa logicis est redacta. Dist: II. inter *sensum artis Enunciativum*, & *Definitivum*, huncq; vel in *propria* vel in *impropria* ratione spectatum. Hèic sortitur definitionem Luciani repetitam à Rodolph. Agr: l. 2. de Invent. c. 2. & à Ram: Philip: Dounam: &c. Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρὸς τὸ τέλος εὔχρηστον ἐν τῷ βίῳ. Illìc acceptatur ap. Ar: l. 6. Eth. c. 4. ubi sic definitur: Τέχνη ἐστὶ ἕξις μετὰ λόγου ἀληθὴς ποιητική. Quibus tanquam fundamenti loco extructis veritas binis conclusionibus aperietur.

Concl: 1. *Logica habitualiter sumpta in sensu definitivo non potest dici ars sivè spectes significationem propriam sivè impropriam.*

Non 1. Significationem *impropriam* spectando, quia illa definitio falsa est tum ratione *conceptus generici*, tum ratione *cõceptus specifici*;

Primò quidem, *conceptus genericus ideò falsus*; Est enim (1.) *improprius*, partim quod sit in prædicamento Relationis, ars autem in prædicamento Qualitatis, nullum autē absolutū potest definiri per relatum, cum Genus & Species debeant esse in eodem prædicamento; partim quod per se impropriè sumatur, cum tantum effectivum esse artem inesse specifico constituat, quæ acceptio adæquatè huic impropriè opponitur. (2.) *Alienus*, eò, quod (a) *omnibus disciplinis conveniat*, nullius naturam essentialiter explicatam: reddens. At omne genus rem essentialiter non explicans, de ejusdem natura nihil participat, quia omne genus de suis speciebus debet esse essentiale. (b) *Subjectum proprium non exprimat* sive respiciat mentem, sive pro ea subjectum seu systema substituat, planè fallit, quod sic probo. Cujuslibet disciplinæ subjectum ὑπαρκτικὸν proprium ac verum cui inest, non ἐνεργητικῶς sed ἕκτικῶς ratione præditum sit oportet: quia Subjectum intelligibilium non est nisi intellectus. Siquidem nulla animæ facultas versatur circa objectum alienum. At tale quid non est Systema sed mens: (3.) *Inordinatus*, dum Logicam tantùm respicit doctrinaliter, & in signis, non essentialiter pro ut in se est. Jam cuicunq; non couveniunt κρυπτέα generis eidem nec ipsum Genus competit. Falsus 2. *est conceptus Differentialis*, quia 1. *confunditur hâc* ratione scientia cum ipsa arte, siquidem sola illa habet præcepta Catholica, necessariò vera & convertibilia, ars verò ut plurimùm contingentia; Jam verò ars & scientia non sunt confundenda, cum diversos nanciscantur fines. Ars ποίησιν, scientia θεωρίαν habet; at quorum fines à se invicem sunt distincti, illi inter se distinguuntur. 2. Differentia Logicæ *ex natura artium* desumi nequit, quod volunt Ramæi: prob: quia si præcepta sunt materialia artis, vel erunt *materia in quâ*, aut *ex quâ*, aut circa *quam*. Non *inquâ*, accidens enim unum non potest esse Subjectum alterius: *non ex quâ*, quia res incorporatæ qualis est logica, eâ destituuntur: non *circa quam*, materia enim circa quam non est aliud de essentia ejus cujus est materia. E. differentia ex materia desumi nequit ac proindè non est vera differentia Conf. J. M. in prælect: extemp: p. 3. c. 4. & disc: Ram. l. 1. c. 1. p. 41.

II. *Non significationem propriam* attendendo, quia 1. logica est habitus

habitus effectivus: prob: quia effectio denotat operationem, sed non quamvis (eam n. & alij habitus intendunt) verũ talem, quâ â reliquis habitibus disterminari potest: Consequentia est evidens, in omni n. habitu practico hæc tria occurrunt, 1 *Cognitio & judicium practicum*. 2. ἐνεργεῖα. 3. *Opus* ἐνέργειαν *consecutum*; jam vero sola ars ultimum attendit, habitus autem activus tantùm duo priora, igitur hoc ultimum soli arti erit proprium & genuinum. Jam fiat argumentatio: Quicquid non relinquit post se opus externum in sensus incurrens non est ars. Atqui Logica non est talis. E. (2.) Affectio est actio transiens. Nam in arte principium agendi, est in efficiente non effecto, 6. Eth. c. 4. At cum in Logica non dentur actiones transeuntes sed tantùm immanentes utiq; infallibiliter sequitur Logicam hoc sensu non esse artem. Objciunt quidem hic: Quod relinquit opus post se est ars. Logica relinquit opus post se sc: Definitionem, syllogismum. E. est ars. Verum resp. ad Major. Quod relinquit opus post se ita ut in alio operetur subjecto, id est ars. Ars enim est principium motionis: At logica non operatur extra animum, nam in eodem animo sunt scientia ipsa & ratiocinatio ea, quâ scientia comparatur. Quatenus igitur Logicus post se opus relinquit, eatenus est artifex: quatenus verò non operatur in alio subjecto extra se, non est artifex. Habet ergo aliquid commune cum arte & aliquid ab ea diversum, uti non incogitanter loquitur Petrus Bertius Log. Perip. de Nat. Log. p. 13. & 14.

## Concl: 2. *Logica habitualiter sumpta in sensu Enunciativo verè est ars:*

Prob: Quicquid sese habet ad modum artis ac cum ea in aliquo convenit, ita ut citra tamen falsitatem de ea prædicari possit, illud verè affirmatur de aliquo in sensu enunciativo. Atqui Ars citra falsitatem de Logica prædicari potest sivè subjectum operationis sive finem geminum spectes, in quibus maxima datur convenientia cum arte, atq; sic ἀναλόγως verè dicitur. At inquis, dici requirit inesse. Resp. inesse alicui dicitur dupliciter, vel quâ *generalem alicujus rei dispositionem*, vel quâ *definitivam alicujus rei expressionem*, priori modo concedo posteriori nego. Restat E. logicam in sensu enunciativo artem dici posse ὥσπερ ἤδη δεῖξαι:

ANTI-

# ANTILOGIA V.

## Logica est Habitus Practicus: & Logica non est Habitus Practicus.

Dist. I. inter *habitum speculativum* qui versatur in objecto necessariò in contemplatione ejus subsistens: & *habitum practicum* qui est circa Ens contingens ejus cognitionem ad operationē dirigens; huncq; tùm *activum* tùm *factivum*. dist II. inter *habitum practicum activum* vel *moralem* qui intendit actionem moraliter bonam; vel *instrumentalem* qui ad aliorum habituum principalium acquisitorum commodius exercitium instrumenta suppeditat, ex quibus sequentes efformo conclusiones.

### Concl: 1. *Logica non est habitus Speculativus sed Practicus:*

*Prius* probatur. 1. *ab ulteriori directione* quia actus logicales cognitionem subjecti ultimatò & subsistenter non intendunt, sed eandem adhuc normaliter dirigunt, per modum vel judicij & dictaminis practici vel exemplaris & ideæ. Est autem *judicium* seu *dictamen practicum*, nihil aliud quam notio judicativa per actum intellectus elicitum, de modo, juxta quem operatio fieri debet. *Exemplar* verò seu idea est ipsa praxis seu operatio, quæ per habitum & judicium practicum dirigitur. At verò contra naturam speculationis est ut sit directiva alicujus efficientiæ. 2. *à specierum contentarum denegatione*, non enim est intelligentia, sapientia, & scientia, id quod probari potest: partim *generaliter* idq; tum (1.) *objectivè* à subjecto, quia his tribus habitibus res simpliciter necessariæ ex natura dependentes subijciuntur, Logica verò in formandis noématibus secundis quæ opus nostrum sunt, occupata est. (2) *Completivè* à fine, horum enim finis est cognitio ultimata, Logicæ actio. (3) *Ordinativè* à methodo, utpote cum illarum trium sit Synthetica, practicarum verò & sic consequenter etiam Logicæ methodus analytica; partim *specialiter*. Non enim est 1. *intelligentia*, quippè quæ est habitus primorum principiorū sine discursu cognitorum. Non 2. *Sapientia* hæc enim est habitus principiorum & conclusionum Ar. l. 6. Eth. c. 7. Nō 3. *Scientia*, hæc n. est rerum necessariarum ad quas requiritur non tantùm perpetuitas, sed & necessitas cum respectiva tum absoluta, non solùm quoad

quoad est tertij, sed etiam secundi adjecti; at tale quid in Logica non est, non enim demonstrat Subjectum apodicticum multò minùs ejusdem perpetuitatem & necessitatem sed occupatur tantùm quoad notiones secundas, quæ non sunt necessariæ sed arbitrariæ. 3. *Ab actuum elicitorum consideratione*, siquidem cognitiones quas Logica elicit tantùm practicæ sunt, cum sua naturâ ad alium actum extendantur. *Posterius* certum est 1. *Ob specierum sub genere disjunctivam potestatem*, Siquidem cui tribuitur genus, tribuitur species sub disjunctione, & genus non potest referri ad genus remotum, nisi simul referatur ad intermedium. Quia itaq; Logica est habitus, non autem habitus speculativus uti antea patuit, sequitur E. quod sit habitus practicus. 2. *Ob operationis dirigibilitatem* quicunq; enim habitus est directivus alicujus operationis, est practicus; Logica est habitus directivus alicujus operationis E. est habitus practicus. Major patescit. Quia disciplina moralis e. g. Ethica, ex eò, quod actuum voluntatis sit directiva practica est, igitur & Logica ob actuum rationis directionem practica erit. 3. *Ob extensionis ultra suum actum facultatem.* Habitus enim qui extenditur ultrà suum actum est practicus. Logica extenditur ultra suum actum. E. His adde quod Logica sit dirigibilis quoad actus intellectus: Esse autem dirigibile est practicè tractare.

## Concl: 2. *Logica non est Habitus Practicus factivus sed activus:*

*Non Factivus*, quod antea probatum, siquidem is est ars cujus effectus foras exeritur instrumentis corporeis, ac tantùm circa particularem & determinatam materiam versatur. Deinde repugnant Logicæ ejusdem proprietates, ceu sunt 1. *intellectus arte perfecti directio*, 2. *membrorum externorum opitulatio*, 3. *Operis post operationem finis extrà artem perduratio*, quæ certè in operatione logica non dantur; Sed *Activus*. Duplices enim sunt operationes, quædam *immanentes* quæ immanent in ipsis potentiis à quibus eliciuntur, ita ut per instrumenta corporea certum opus producendo membris corporatis facilitari necesse non habeant. Quædam verò sunt *transeuntes*, quæ in rem & naturam transeunt, & post se opus relinquunt, juxta duplices has operationes dividitur habitus practicus in

activum & factivum, igitur quia Logica non est habitus factivus, erit habitus activus, siquidem operationes finaliter sine consecutione operis externi ἀπλῶς elicit.

## Concl: 3. *Logica non est habitus Practicus activus moralis, sed instrumentalis.*

Non 1. *moralis*, quicquid per se non intendit honestatem vitæ habitus moralis non est. Logica per se non intendit honestatem vitæ E. habitus moralis non est. Major patet ex definitione habitus moralis, quo definitur quod sit habitus vitæ honestatem intendens. Minor per se manifesta, utpote cum Logica & Ethica per objectum discernantur. Sed 2. *instrumentalis*, quô rectitudo intellectus & veritas in res cognoscendas introducitur. Quod autem habitus practicus activus ultrà moralem sit extendendus, patet, quia actio ab effectione in eo discernitur, quod illa sibi sit ultimus finis, hujus verò finis ἔργον. Jam verò etiam ἐνέργεια transiens, & quæ moralis non est sibi ultimus finis esse potest nec relinquere post se ἔργον, quod cum de Logica affirmari possit, sequitur quod Logica sit habitus activus instrumentalis, uti probatum est.

## Additamenta.

*An* Ephialtes (germanis die Mahre) *causas habeat naturales?*

Quamvis multi sint qui hoc ipsum negent, nos tamen id affirmaturi tres pro ferimus rationes conjunctim sumendas quarum 1. *humorum pravorum Collectio*. Spiritus enim ex imbecillitate concoctionis fuliginosus existens, cor ac cerebrum degravat, unde quia in somnijs parva putantur magna, terriculamenta tum excitantur ob Spirituum colluctationem, hinc fit ut homines gravi se oppressos mole putent, variosq; gemitus profundant, nec tamen se excitare queant, eò quod spirituum vias multus obsidet halitus, & pravus humor pectora, musculos, dorsum, & tendones simul occupat: 2. *Nervorum obstructio*, ubi enim pravi humores ad posteriora corporis fluunt ac defluunt nervi obstructionem contrahentes spiritibus viâ præscindunt. 3. *Stomachi inconcoctio*, quandocunq; enim stomachus tantâ sæpè cruditate laborat, affectus hic frequenter resupinis, ac in dorsum decumbentibus accidens, fit ut spina dorsi, & quæ sub ea, cor ipsum propiùs attingant & premant, quâ compressione ejus motus non nihil impeditur, motu impedito fumi crassiores circa il-

ca illud colliguntur, qui deinde in cerebrum ascendentes monstrosas gignunt imaginationes, quasi spectrum adsit quod pectus comprimat. Quin & corde presso pulmones premuntur, & vox velut intercipitur, ut vocem edere nequeant, ac ita magnâ valetudinis incommoditate somnum capiant.

*An Cometarum locus dari queat æthereus?*

Affi: quia 1. Cometarum parallaxis lunari offenditur minor uti idipsum probant Dn: Keppl: Crûg: p. m. & alii. At corpus minoris parallaxeos corpori quod est majoris localitate est remotius, quia 2. motus Cometarum semper est regularis & uniformis; at motus regularis nullo meteoro elementari, sed tantum cœlestibus corporibus est proprius. Ut verò de hisce rationibus dubitari nemo queat, paucis eorum tùm materiam tùm generationem dispiciemus. Materiam Cometarum quòd attinet, est illa 1. *non ex materia sublunari*, quia hæc supra Lunam non extenditur, sed tantum in Sphæra aërea manens exaltationem 13 milliaribus non excedit uti Opticorum demonstrant observationes. 2. *Non ex compactura* vel (1.) *plurium stellarum in æthere vagantium*, quia stellæ materiam caudæ formantes, semper in contrariam Solis plagam motum suum instituerent, quæ cauda tùm in orientem tùm in occidentem se vertet pro motu Solis, plagæ Cometarum oppositi. At hoc absonum: vel (2.) *auræ æthereæ*, hæc enim cum subtilis existat diu persistere non poterit, sed mox dissipabitur, si enim crassior materiæ condensatio non est diuturna, quî poterit subtilior diuturna existere; Sed 3. *Ex materia è planetariis corporibus vibrata*, dari enim talem materiam, constat ex vaporoso orbe circum-joviali qui fluidus. Fit autem hæc taliter. Sydera tempore majorum concursuum & aspectuũ magnam patiuntur commotionem, unde oritur materiæ planetaris vibratio, quæ tanquam ex heterogeneis atomis in unum cogitur corpus, quod per unionem in tanta duratione, & motu proprio conservari valet. Vid. Disp. Theor. de Comet. Cl. M. Lineman. ex quo paucula hæc excerpsimus.

*Utrum manus dextra sinistrâ sit promptior per naturam; an verò per solam assvefactionem?*

Pro posteriori licet non pauci certent. Nos tamen inprimis ad naturam ordinariè recurrimus ob certas rationes, quarum 1. *Caloris nativi dispositio*, quæ in musculos & articulos dextri lateris uberi-

uberiori copiâ sese diffundit, eò, quod illud parti dextræ uteri materni est proximior. At verò dextrum latus uteri materni plus caloris ob vicinitatem epatis contrahit quàm siniſtrum, hoc enim dum â corde tanquam caloris fonte est remotiùs tantum caloris primogenij ſuccum non imbibit. 2. *Arteriæ venoſæ ex corde in pulmones derivatio*, quæ non siniſtrorſum ſed dextrorſum tendit: at verò cum pulmones, ubi ſedes est ſpiritus & reſpirationis â quo virium motus oritur, manui dextræ sint viciniores, ſequitur eâ hâc ratione fieri agiliorem. 3. *Lienis in siniſtro latere habitatio.* Cum enim lien ſucci terreſtris ponderoſi sit domicilium, certè latus corporis siniſtrum imprimis ſuâ mole aggravat, ut hinc dextro ratione expeditionis cedere cogatur omninò.

*Cur lapis è funda ejaciatur velociùs & validiùs quam è manu?*

Cauſa hujus rei hæc esto. Homo lapidem proijciens in corpore ſuo centrum agnoſcat oportet, ex quo lineæ, ſi ducantur ad brachia, velut ad circumferentiam inclinant, quo autem linea à circumferentia ad centrum ducta est longior, eò validior ac in extremitate velocior est motus. Cum autem funda lineam longiorem ad centrum corporis humani ductam exhibeat quam quidem manus, ideo velocior & validior erit è funda jactus quam ex manu.

*Cur quidam homines gaudio extingui ſoleant?*

Ratio est, quod in gaudio, ſi sit nimium inopinatum ac repentinum, tanta contingat cordis relaxatio, ut virtus vitalis unà cum innato calore tota egeratur ac diſſipetur, & ſic mors conſequatur. vid. Colleg. Connimb. l de vit. & mort. c. 6.

*An Mulieres ſint Monſtra?*

Negamus hoc contra malitioſos fæminei ſexus exactores, idque probamus, ſequentibus rationibus quia 1. fæmina prima creata fuit ad imaginem Dei Gen. 1. v. 27. At Monſtrum factum eſſe ad imaginem Dei, est abſurdum. Si igitur prima Fæmina non est monſtrum utiq; nec illius pediſſequæ monſtra erunt, *qualis enim cauſa talis est & effectus.* Quia 2. Monſtra per ſe à naturâ non intenduntur. At verò Mulieres ſunt ex intentione naturæ, propterea quia naturæ ſunt neceſſaria ad ſpecierum perpetuationem Quia 3. mas & fæmina ſpecie non diſtinguuntur Ar. l. 10. Met. c. 12. Si verò ſpecie non diſtinguuntur, certè unum ſecundum naturam, alterùm verò præternaturam minimè eſſe poteſt: cum *contraria de una eademq; ſpecie ſimul nunquam prædicari queant.*

# ANTILOGIA I.

## Logica pars est Philosophiæ: & Logica pars Philosophiæ non est.

Disp III. Respond. Antho-nio Gun-ther Um-mio Ol-denbor-go Frisio.

Dist: inter vocem *Philosophiæ* acceptam (1.) *aggregatè*, pro complexu multorum habituum acquisitorum quibus naturaliter mens hominis perficitur (2.) *inaggregatè*, prout unum aliquem habitum liberalem determinat. *Philosophia aggregatè* accepta sumitur vel *latè* pro quovis habitu industriâ humanâ acquisibili; vel *strictè* seu propriè pro sapientia humana disciplinis objectivis tantum comprehensa.

### Concl. 1. *Logica est pars Philosophiæ latè dictæ.*

Prob. 1. *à lata Philosophiæ definitione*, quæ habetur apud Cicer. l. 1. de off. Philosophia est divinarum & humanarum rerum scientia. Humana autem scientia adstringitur non solum ad disciplinas objectivas, sed & directivas, utpotè cum per has est dirigenda. At Logica est inter disciplinas directivas Ergò. Jam cui competit definitio, eidem & definitum in tali sensu est attribuendum. 2. *à paritatis subsumptione*, si pars Philosophiæ dici quit prudentia moralis, quæ perficit hominis voluntatem, utiq; & Logica partis Philosophiæ nomine non erit orbanda, utpotè quæ hominis perficit intellectum. Ratio connexionis est, quod intellectus voluntate sit dignior. At quod dignioris est perfectionis, si non majorem, certè eundem dignitatis admittit gradum. 3. *à generali partis evolutione*, nam pars dicitur quæ refertur ad totum. Notum autem est quod disciplinæ ὀρχανικὴ per se totum integrale non absolvant, eò quod ad Philosophiam suâ naturâ referri debeant. Itaq; cum totum integrale non sint, partes alicujus totius sint oportet, quia inter totum & partē non datur medium. 4. *à concreti connotatione.* Etenim Philosophus

is dicitur, qui non tantum habituum realium, sed & instrumentalium cognitione est imbutus. At si Logica Philosophiæ in concreto attribui potest, sanè eidem haud denegabitur in abstracto; Siquidem *cui tribuitur concretum, eidem necesse est rem inesse quæ voce abstracti significatur.*

## Concl. 2. *Logica non est pars Philosophiæ stricte seu propriè dictæ.*

Veritatem hujus conclusionis ut reddamus lucidam & manifestam primò è rei necessitate futurum puto, si Philosophiam tantum Disciplinis Objectivis esse attribuendam probaverim quô jactô fundamentô Logicam partem Philosophiæ propriè dictam non esse haud difficulter erit subsumendum. Id verò taliter damus probatum. Quicquid sub Philosophiæ subjecto occupationis directo eoq; formali non continetur, illud ejusdem non constituet partem propriè dictam, propterea quia subjectum omnes sub se comprehendit partes. At Logica sub Philosophiæ subjecto occupationis directo eoq; formali non continetur Ergò. Min. prob. quia subjectum Philosophiæ est omne ens reale positivum partim necessarium, partim contingens, quod arguitur è Philosophiæ definitione, quâ definitur, quod sit *habitus mentis humanitùs acquisitus contemplatione veri circa res necessarias intellectum, & actione boni circa res contingentes appetitum perficiens ad Summum Bonum humanum consequendum.* At Logica entia realia, quà talia non pertractat, igitur quod partem Philosophiæ strictè dictæ constituat, absonum est.

# ANTILOGIA. II.

## Syllogismus Logicæ finis est adæquatus: & Syllogismus Logicæ finis non est adæquatus.

Dist. inter *Logicam ἀσιωδῶς* & in essentia & inter eandem *ὑπαρκτικῶς* & in existentia spectatam, ibi sistitur interne in se, hîc verò externè & per habitudinem ad Organum Aristoteleum. jam sit:

## Concl. 1. *Syllogismus est finis Logicæ adæquatus,*

*tus, quatenus ſpectatur* ὑπαρκτικῶς *& in exiſtentia.*

Prob. 1. *ab Ariſtotelis intentione*, quippè qui in Organo ſolum ſyllogiſmum ex inſtituto tradere videtur. Et licet in Logica etiam eſſentialiter conſiderata ſuo modo ad eundem referri cuncta poſſint, quia tamen ſingula non reducuntur, ſed præter ordinem & citra dependentiam à Syllogiſmo in ſe ſpectari queunt, ſequitur Syllogiſmum finem duntaxat eſſe Logicæ Ariſtoteleæ adæquatum, non autem Logicæ ut ſic: 2. *à primæva conſtitutione*, inventa enim fuit primitùs Logica ad diſputationem, quæ non niſi Syllogiſmô abſolvitur. Cum verò objectum Logices omnes res ut tractandas exhibeat, utiq; in quibuſdam ſeſe ratio ſuis actibus ad independens veritatis ſcrutinium diffundit, ut inde ad Syllogiſmum tantùm neceſſitate, quàdam expedientiæ appellet. 3. *à Præceptorum Logicorum extenſione*, quæcunq; enim præcepta in abſtractione & formaliter exſtruuntur, ac per ſe veritatis indagationem requirunt, illa χεπικῶς ad ſpeciale quoddam medium per ſe non reducuntur; at omnia præcepta Logicalia ſunt talia. Ergò.

## Concl. 2. *Syllogiſmus non eſt finis adæquatus Logicæ* ἐσωτικῶς *ſpectatæ.*

Prob. quia 1 *partialiter* & inadæquatè ad Logicam refertur, non autem totaliter. Poteſt enim prima & ſecunda mentis operatio abſq; tertia independenter conſiſtere, non contra hæc abſq; illis, ſiquidem primus & ſecundus mentis actus ad tertium non niſi συμβεβηκότως dirigitur, utpotè cum eſſe completum & perfectum in ſe habeant. Prob. Ubicunq; datur falſitas tùm negativa tùm poſitiva per primam mentis operationem tantùm curabilis, ibi datur eſſe completum in ſeſe. Atqui in primâ mentis operatione datur falſitas. Ergò. Minor prob. Datur enim *difformitas cognitionis ab objecto repræſentato*, vel ut intellectus objectum planè non attingat: vel ut intellectus objectum ſaltem compoſitum per diverſum conceptum apprehendat, aut cum forma, quam non habet, aut ſine forma, quam habet. Cum igitur directio illa accidentalis finem adæquatum non abſolvat (quia ad eum requiritur, ut non ſolùm omnia ad eum ordinari

queant, sed & ut aliâ ratione nequeant pertractari) sequitur Syllogismũ finẽ Log. adæquatũ non esse. Quia. 2 *non simpliciter* & absolutè Syllogismum termini simplices ingrediuntur *sub forma apprehensiva* per directionem simplicem, sed κεπχῶς & relatè *sub forma illativa* per directionem copulatam & compositam, prout in Syllogismo rationem majoris, minoris & medii termini sustinere possunt: quia. 3. *Completudinaliter* omnia media Logica non attingit, omittit enim methodum; quæ sub eô in propriô significatũ non continetur; & quamvis quidem ad Syllogismum referri possit, fit tamen illud non per ordinationem, sed tantum per illationem, à notiori ad ignotius progrediendo.

## ANTILOGIA III.

### Veritas est finis Logicæ externus: & veritas finis Logicæ externus non est.

Dist. I. inter *Veritatem objectivam* seu rei, & inter Veritatem *conformativam* seu animi; *illa* importat congruentiam rei cum intellectu, & dicitur aliàs veritas in essendo, *hæc* intendit conformitatem intellectus cum re, & vocatur veritas in cognoscendo. Fit autem illa conformitas tùm, quando intellectus rem intra se concepit idealiter, prout reatenùs est in se & suo statu objectivo. Dist. II. inter *Veritatem in cognoscendo* seu conformitatem consideratam vel *in actu signato* vel in *actu exercito*, sicq; vel *principaliter*, vel *instrumentaliter*: Dist. III. inter *veritatem sententiarum*, quæ est ipsarum rerum veritas, quando sententiæ & orationes verificantur in ipsis rebus, adeoq; dicunt, quod res est: & inter *veritatem connexionum*, quæ nihil aliud est quàm conveniens terminorum connexio. Ex hisce fit

Concl: 1. *Veritas in essendo non est finis Logicæ externus.*

Patet, quia illa cuivis enti in esse absoluto convenit ab eodem affectionaliter propullulans. At quicquid convenit Enti, qua Enti, illud considerationis Logicæ non est, siquidem hæc tantùm Entia pertractat quatenus notionibus secundis vestiri apta nata sunt. Unde cum illa soli Methaphysicæ assignetur, ex hâc tanquam finis externus erit relegandã.

Concl. 2.

Concl. 2. *Veritas in cognoscendo ac in actu signato, ratione sententiarum spectata, non est Finis Logicæ externus.*

Prob. quia hæc mentem imbuit in cognitione rerum, dum res ipsas, de quibus agitur, pertractat in suis scientiis sivè disciplinis quærendas. Supponit enim tùm rerum quidditatem, tùm affinitatem, quâ res considerantur vel in seſe, vel inter seſe διακριτικῶς vel συγκριτικῶς.

Concl. 3. *Veritas in cognoscendo spectata, ac in actu exercito prout obtinetur principaliter, non est finis Logicæ externus.*

Prob. quia hâc ratione in distinctis à Logica Disciplinis quit pertractari, dùm in illis attenditur, non ratione λόγου ἐνδιαθέτου, sed *ratione fundamenti*, & modi cognitionis. Nihil enim in cognitione verum est, quod non sit in objecto, vel fundamento, si autem est aliquid in cognitione, quod non existit in objecto, erit cognitio conformis partìm, partìm difformis, adeoq; falsa non simpliciter vera.

Concl. 4. *Veritas in cognoscendo ratione connexionis spectata quoad actum exercitum prout obtinetur instrumentaliter, finis Logicæ est externus.*

Dico. 1. per retrogradationem *externus*, quia propter eum operatio Logica instituitur, ut rectitudo functionum intellectus ideò indagetur, ut verum in rebus cognoscatur. *Hùc enim omnis operationum intellectus recedit rectificatio, ut in iis veritatis deprehendatur ratio.* Et licet non semper obtineatur, tamen hoc finem externum non impedit, siquidem exinde finis salutatur externus, quia per se non inest, ut obtineatur, eò quo non semper in manu & arbitrio sit Logici. Dico. 2. *quatenus veritas prout dubia est obtinetur instrumentaliter*, res enim manifestæ vel experimentaliter vel penetraliter ex solâ terminorum cognitione, Logices ope & beneficio non indigent, quare tantum per certos differendi modos in Logicis res cognoscibiles

prout dubiæ sunt, dirigi debent, non quidem *objectivè* & realiter, sed *præparativè* & intentionaliter. Dico. 3. *ratione connexionis*, per hanc enim veritatem, non res solum à proprio habitu dijudicatæ præsupponuntur, sed & ὀργανικῶς expenduntur, unde hâc ratione *veritas cognitionis* seu Logica duplex esse potest, vel *incomplexa*, quâ cum rebus semper apprehensis, mens congruentiam nanciscitur sine judicio, vel *complexa* quâ rebus inter se combinatis est conformis, & idem, vel *respectu compositionis & divisionis* cũ re composita & divisa, vel *respectu illationis & ordinationis*, cum re illatâ & ordinatâ. Conf. Cl. M. Eisl. in probl: Log. p. 16. & Palæst: Log: Consl. 1. p. 31. & 32.

## ANTILOGIA IV.

### Ratiocinari finem Logicæ genuinum absolvit; & Ratiocinari finem Logicæ genuinum non absolvit.

Dist. inter τὸ *Ratiocinari* sumptum 1. in *sensu laxo*, prout omnem mentis functionem complectitur. 2. in *sensu stricto* solum discursum illativum intendens. Pro diversâ hâc acceptione ratiocinari potest esse finis Logicæ & non potest esse.

### Concl. 1. *Ratiocinari acceptum in sensu lato, finem Logicæ genuinum absolvit.*

Hoc ut pateſcat certæ conditiones primùm sunt præsupponendæ si acceptetur (1) *actualiter* ut actum ratiocinandi semper, sed *potentialiter* facultatem indigitet (2) *fundamentaliter* & identificè, ut ad rectificare operationes intellectus supponat. (3) *instrumentaliter* & directivè ut ad veritatis indagationem inclinet. Sicq; probatur 1. *ab ultimatâ mediorum revocatione*, siquidem cuncta sibi Logica instrumenta tanquam fini subservientia complectitur. Ad quod autem, omnia finaliter in disciplina aliqua revocari possunt, illud finis illius Disciplinæ est legitimus & genuinus. 2. *ab invariatâ finis intentione.* Quicunq; enim finis nulli aliæ Disciplinæ competit possessivè, disciplinã in essendo exhibitivè reddens, ille huic Disciplinæ est congruus. Jam verò τὸ ratiocinari in nulla alia Disciplina finaliter intenditur, uti constat, igitur quin finis Logicæ sit, necessum est. 3. *ab adæ-*

*adæquata Logicæ constitutione.* Etenim Logica neq; est latior τῷ ratiocinari, cum omnia ad hunc finem unicè colliment, nec angustior, quia omnibus præceptis disciplinæ ordinem, mensuram & numerum præscribit.

## Concl. 2. *Ratiocinari sumptum in sensu stricto finem Logicæ genuinum non absolvit.*

Patet, quia sic æquipollet ad Syllogismũ nil aliud quàm intellectionẽ discursivã quâ minus notũ ex notiori colligitur, significans. Quò minus itaq; Syllogismus finem Logicæ absolvebat, eò minùs & ratiocinatio Logicæ finem constituit. Nam quicquid negatur de uno Synonymorum, id etiam de altero negari verè licebit. Idem esto judicium de τὸ *Disserere*, quæ vox si æquipollet ad τὸ *argumentari*, finis Dialecticæ non est, uti dictum antilogia 2. Sin verò æquipolleat τῶ *præscribere modum*, quo operationes intellectus dirigantur, ritè simplicia apprehendatur, componantur & dividantur, alia ex aliis inferantur & ordinentur prout vult Dn. Scheibl. utiq; hâc ratione finis Logicæ est adæquatus.

# ANTILOGIA V.

## Operationes intellectus objectum Logicæ constituunt: & Operationes intellectus objectum Logicæ non constituunt.

Dist. I. inter *Objecti materiale* seu rem consideratam & inter Objecti *formale* seu modum considerandi. Dist. II. inter *operationes intellectus*, quatenus spectantur vel ἀπλῶς seu *præcisivè*, vel σχετικῶς seu *respectivè* in relatione ad res quibus inserviunt dirigibiliter. Dist. III. inter *Dirigibilitatem naturalẽ*, quâ actus intellectus rectificari debent ab intellectu & naturali ejus facultate; & inter *Dirigibilitatẽ artificialem*, quæ nil aliud est, quàm congruentia functionum mentis ad quas rectificanter sunt conformandæ. Dist. IV. inter *Operationes intellectus* spectatas, vel *penes cognitionem cujusvis operationũ solitariam*, vel *penes variationem cujusvis omnimodam*, ibi sigillatim quævis operatio intellectus perpenditur, hîc complexim ad unum omnes dignoscuntur. Dist. V. inter *Operationem intellectus rectam*, quæ sem-

per

per est exemplar & prototypus rectificandæ; vel *rectificandam*, est cui rectitudo seu objecto, beneficio operationis rectæ cognitæ seu ideæ & organi induci debet: vel *rectificatam*, cui rectitudo illa actualiter est inducta. Dist. VI. inter *Subjectum Logicæ ut Quod* seu immediatum, & *Subjectum circa quod* seu mediatum; illud est quod ad rectitudinem ab ipsâ primò dirigitur, hoc est ad quod operationes intellectus ad rectitudinem diriguntur. Hisce præmissis sit:

Concl. 1. *Operationes intellectus quatenùs spectantur absolutè seu quoad objectum materiale seu quoad formale, penes dirigibilitatem naturalem subjectum Logicæ non constituunt.*

*Patet prius*, quia hac ratione Physicam & Pneumaticam agnoscunt, in quibus considerari possunt, tùm *constitutivè* penes definitionem, & proprietatum enodationem, tùm *divisivè* penes varietatem & distributionem. Etenim utrobiq; ut actus & effectus animæ rationalis perpendi debent, cum cujusvis efflagitet officium, non tantùm contemplarii intellectûs, sed & vires & actiones illum naturaliter consequentes, quamvis cum discrimine: *Physica* quatenus intellectus facultas est animæ naturalis & informantis, ac in universum corpus humanum regimen exercentis. *Pneumatica* quatenus intellectus est proprietas animæ rationalis tanquam formæ spiritualis, & à commercio corporis segregatæ. Cum itaq; hoc modo in Logicis non considerentur, utiq; præcisivè quoad materiale objectum Logicæ non constituunt, cum per hoc una Disciplina ab altera haud specificetur. *Patet posterius*, quia sic in entitate sua absoluta sunt considerationis physicæ, ubi functiones mentis naturaliter rectæ, à formis & regulis Logicis in sui productione non dependent, sed rectitudinem naturali facultate & virtute mentis per actionem physicam, quæ procedit à principiis naturalibus, invectam habent.

Concl. 2. *Operationes intellectus omnes quatenùs spectantur respectivè, ut rectificandæ, juxta dirigibilitatem artificialem subjectum Logicæ quod sunt & immediatum.*

Hoc

Hoc ut innotescat singula sunt probanda speciatim. Dico. 1. *Operationes intellectus omnes*, quia omnes in cognoscendo veritatis defectusq; circa veritatem sunt capaces, ubi verò defectus, ibi directio. Omne autem dirigibile contemplationis est Logicæ, id quod in specie de singulis operationibus probari potest, & quidem (1) in νοήσει ἀδιαιρέτων seu *simplicium apprehensione* datur *tum veritas*, cum ibi requiratur conformitas cognitionis repræsentantis cum objecto repræsentato, *tùm falsitas* eaq; *cùm privativa* seu partialis, quando intellectus objectum aliter ut est apprehendit, illi aut formam quâ destituitur attribuendo, aut formam quâ pollet denegando, tum *negativa* seu totalis, cum intellectus objectum simplex planè non attingit, eidem conceptū totaliter difformē affingendo. Et licet hanc falsitatē planè prima mentis operatio respueret, dirigibilis tamē adhuc foret propter difficultatem simplicia apprehendendi, quibus Logica suppetias fert. 2. In συνθέσει καὶ διαιρέσει seu *in compositione & divisione*. Datur enim & hîc conformitas & difformitas cognitionis cum objecto cognito. Quod autem est cum defectu, illud est dirigibile & quod acquirit rectitudinem & veritatem, illud potest dici directum. 3. in διανοίᾳ *seu discursu* tùm *illativo* tùm *ordinativo*. Reperitur enim in utroq; tùm veritas & falsitas, siquidem intellectus abertare valet, non tantùm in ratiocinatione, quæ fit vel *formaliter* quoad omnes gradus & modos, vel *materialiter* secundum omnes ejus species, sed etiam in eleganti rerum constructione, à quâ confusio tolli, & facilior reddi debet cognitio. Dico. 2. *Quatenus spectantur respectivè ut rectificandæ*. Cum enim juxta considerationem absolutam sint considerationis Physicæ & Pneumaticæ, utiq; juxta respectum subjectivum in Log. erunt pertractandæ. Illa enim cum è lapsu primævo enormes contraxerit defectus in omnibus actibus, cupiunt illi vel benè vel malè dirigi, quæ rectitudo, cum in nulla Disciplina præter Logicam contingat, fit ut hæc easdem consideret, vel ut *sunt rectæ*, vel ut *sunt rectificandæ*, vel ut *sunt rectificatæ*; illas intendit intellectus ceu medium, istas ceu Objectum operationis, has ceu finem. Dico. 3. *juxta dirigibilitatem artificialem*. Hæc enim constituit formale objecti Logici à quô specificationem à reliquis disciplinis nanciscitur, dum nulla illarum per regulas & præceptiones

simplicissimæ veritatis rectificari easdem doceat. Dico. 4. *Subjectum Logicæ quod & immediatum.* Quia Subjectum operationis est illud in quod rectitudo moralis vel artificialis debet introduci. Sed rectitudo functionum mentis non inducitur Enti, nec operationibus rectis, utpotè quæ sunt media quatenus rectitudo inducitur; nec operationibus rectificatis, quicquid enim rectitudinem actu jam possidet, illud rectificari amplius non debet. Ergò ea inducitur in operationes dirigibiles & rectificandas, quæ objectum Logicæ sunt immediatum. Conf. Cl. M. Weg. de Obj. Log. q. prò oem. 8. p. 108. Dn. M. Eisl. in Disp. ordin. de funct. intell: hum:

# AUCTARIA

### *An Somnus futurus fuisset in statu Integritatis?*

Dist: inter *Somnum ortum* vel *ex pura evaporationis materia*, qui propter solam ab externarum functionum cessatione instituitur oblectamentum & delectationem; vel *ex lassitudine & laborum molestia*, qui ob veram & meram virium amissarum perficitur redintegratioem. *Prior omnino futurus fuisset*; quia 1. ubi alimenti receptio, ibi vaporatio, ubi vaporatio ibi cerebri ad somnum est dispositio. At verò in statu Innocentiæ fuit alimentum, Deus enim omnes fructus Paradysi in usum & esum creaverat hominum, ac ut de omnibus excepta unâ, arboribus comederent mandaverat. quia. 2. expresè in Scripturis asseritur somnum Adamo fuisse immissum qui voce hebræa תַּרְדֵּמָה à radice רָדַם, per somnum arctiorem & profundum, non negatâ tamen simul Ecstasi exprimitur. quia 3. Somnus est genuina corporis naturalis affectio quietem agnoscens, quæ corpori naturali quà tali deneganda non est. *Posterior Homini ante lapsum in statu naturæ institutæ attribuendus non est.* quia (1) arguit defectum, videlicet corpus à laboris incommoditate defessum. quia (2) colluviem pravi humoris & vaporis cerebrum Adami obruentem & obstruentem status Integritatis removet.

### *An Coscinomantia cum reliquis Speciebus fundamentum habeat in Natura?*

Coscinomantia Magis nihil aliud est quam investigatio furis per cribri ad forcipem impositi nutationem & tremorem. Hanc quò firmius

firmius illi defensam eant, eò constantius nos eam repellimus sequenti discursu. Si Coscinomantiæ fundamentum datur in natura erit illud, aut *in verborum prolatione*, aut *in cribri trepidatione*, aut *in utriusq; conjunctione*. Non 1. *in Verbis*, horum enim si aliqua vis daretur & efficacia, esset illa vel *artificialis*, vel *supranaturalis*, vel *naturalis*. Non *Artificialis* hæc enim nusquam ullibi deprehensa, imò ars naturam non destruit sed perficit. Non *supranaturalis*, quia hæc aut *gratiosa* aut *miraculosa*, Utraq; vero Magis non conceditur à Deo, cum eidem sint exosi. Non *Naturalis*. Verba enim aëra tantùm feriunt per sonum. At sonus hanc operandi virtutē non habet, quin & ipse Deus verbis superstitiosis nil gratiæ virtutisq; elargiri promisit. Prætereà si verbis dematur imprimis formale, seu usus significativus conceptuum, quoniam enim meræ sunt quantitates (sunt enim numerus literarum & syllabarum) non potest ulla esse efficacia, cum omnis operatio sit à forma, quæ per qualitatem est efficax. Hùc non impertinenter revocari potest Historia de Ignatio Lojola primo Jesuvviticæ societatis authore quam Turrianus Pontificius, citante *Hasenmüller* in Histor. ord. Jesuvvit. c. 8 p. 296. quod aliquando Romæ fæmina à Dæmone agitata Lojolam acclamando insecuta fuerit his verbis: *Tu solus me liberare & juvare potes*. Tunc Ignatium dixisse hunc Virgilij versum ex lib. Æneid. 4. desumptum:

Speluncam Dido dux & Trojanus eandem.

Quâ voce audita, Dæmon à muliere subitò est egressus hac vociferatione: *O Fili Lojola tu ceu Leo me ad speluncam inferni abire cogis, sed rogo te, ne me æternæ speluncæ inijcias*. Tunc Ignatium dixisse: *Vade quocunq; volueris, modò nullum ampliùs hominem obsideas*. Quis dolum hic non animadvertit? anne versus Virgilianus tantâ pollet δυνάμει, ut Sathanas ejus recitatione fugari queat? Non 2. *in Cribro*, illud enim quia instrumentum est inanimatum potentiam in se naturalem non habet per nutum hominibus aliquid significandi. Non. 3. *in utroq; conjuncto*. quia res corporatæ in entia corporis expertia, è quibus sunt nomina, agere non possunt. Manet ergò Coscinomantiam plane esse Diabolicam, atq; ob id ab homine Christiano non adhibendam. Idem esto judicium de Λεκανομαντείᾳ Γαστρομαντείᾳ Ὑδρομαντείᾳ & alijs.

Qui

*Qui fit quod [illegible], qui non assueti maritimis navigationibus facilè concitentur ad vomitum?*

Causæ hujus rei dimissis aliorum Opinibus donicùm commodiores dabuntur, hæ sunto. 1. *Vaporum crassiorum oberratio*, qui per immeationem corporis, offendentes officinam Ventriculi eundem ingredi cupiunt; At hisce Ventriculus inassuetus, eosdem protinùs summâ vi dispellit, ex qua commotione residuæ portiones simul cum ijsdem superiorem exitum quærunt ob inelaboratam concoctionem. 2. *perpetua navigii jactatio*, quæ corpus frequenter movens, humores simul commovet, qui posteà ob redundantiam & nimietatem copiæ exitum quærentes, natura eos qui tenuiores per vomitum, qui crassiores per sedem excernit. 3. *Timoris concitatio*, qui de futuris periculis sollicitus, animum reddit æstuantem & fluctuantem, simulq; corpus perturbationibus efficit obnoxium, unde tùm oritur inflatio quæ ex collectis cruditatibus exhalans, non raro, vel in caput ascendit (ubi ultra progredi prohibita in gyrum fertur) unde vertigo, imò nonnunquam in ventriculo oboritur, qui eam fastidiens protinùs dispellit.

*An Terra sit sphærica?*

Aff. quia *Terra* aut est *plana* aut *sphærica*, cũ disceptatio tantùm inter hæc duo instituatur. Sed *non est Plana*, sequeretur enim 1. eandem ubiq; fore poli elevationẽ. 2. Ecclipsiũ solariũ singulis diebus, lunariũ verò neutiquàm animadversionem futuram. 3. eandem quoq; dierum & noctium esse quantitatem. At hæc sunt absurda. Ergò *erit sphærica*. Ratio est in promptu, quia terra est rotunda ab oriente in occidentem, item è septentrione in austrum. Ergò *tota est rotunda*, quicquid enim omnibus partibus attribuitur iisq; simul sumptis, id verè attribuitur toti. *Prius probatur*, quia Populis orientalibus citiùs oriuntur stellæ quàm occidentalibus, uti manifestum fit ex Ecclipsibus Lunaribus, quæ iisdem horis simul ab omnibus nequeunt conspici. *Posterius prob.* quia (1.) in nostris Regionibus dantur stellæ, quarum quædam semper apparent, quædam verò nunquam in oculorum nostrorum aciem impediente scilicet terræ tumore objiciuntur. quia (2.) Terra in ecclipsibus Lunaribus à sole aversa circularem proijcit umbram. Hinc est quod Scriptura Sacra rotunditatem terræ approbans, appellet חוּג הָאָרֶץ i. e. circulum seu globum terræ Es. 40. v. 22.

# ANTILOGIA I.

## Ens est objectum Logicæ: & Ens objectum Logicæ non est.

Disp. IV. *Respond.* Alberto Kölnero, Regiomont: Prusso.

DIst. I. inter *Ens* consideratum vel *absolutè* in se, prout ens est, vel *relatè* per ordinem ad intentiones secundas quibus substare potest. Dist. II. inter *Ens reale & ens rationis*. *Illud* est quod veram essentiam extra fictionem intellectus obtinet. *Hoc* est quod præter mentis fictionem realiter non existit. *Illud* accipitur *modò γενικῶς*, esse extra mentis fictionem quovis modo designans, sive istud in rerum natura verè ponatur, sive saltem à rebus verè removeatur, sivè demùm per non repugnantiam rebus attribuatur; quo sensu privationes & negationes includi possunt: *modò ἰδικῶς* verum esse in rerum natura ante mentis fictionem obtinens. *Hoc* sumitur *secundum constructionem* vel *intransitivam*, sic ens rationis dicitur illud quod est ipsa ratio & intellectus; vel *secundum constructionem transitivam* sicq; partim *subjectivè* quod subjecto inhæsionis videl: animæ inhæret; partim *effectivè* quod à ratione fit sive per *actum elicitivum* ut cognitiones speculabiles & operabiles, sivè per *actum directivum* quando à ratione secundum exemplar mentale opera quædam causaliter efformantur; partim *objectivè*, circa quod ipsa ratio versatur, sive id contingat vel *objectivè existenter* quod præter illud objici esse extra mentem reverà habet, vel *objectivè consequenter* cujus essentia præter fictionem intellectus destruitur, eodem verò operante constituitur. Et hoc posteriori modo *Ens* aliud est *cum fundamenti destitutione* quod tantùm gratis sine fundamento in re confingitur; aliud est *cum fundamenti adinventione* quod quidem ab intellectu complementum expectat, satis tamen aliquod fundamentum supponit. Conf. Præclaris. Dn. D. Calov. Met. Diu. m. p. 146. Dist. III. inter *Subjectum* Logicæ, quod est vel *inhæsionis*, in

quo resident habitus disciplinæ; vel *considerationis*, quicquid ad Disciplinam quocunq; modo spectat; vel *occupationis* & operationis circa quod Logica versatur & dirigitur. Sit Ergo.

## Concl. 1. *Ens absolute consideratum quatenùs ens, non est subjectum Logicæ:*

Prob. 1. *à Subjecti realis evolutione*, cum enim hoc Subjectum sit reale, utiq; etiam realem exposcet disciplinam quæ præter Ontologiam non datur. Nam ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης Ar. l. 1. Met. c. ult. Discernitur autem hæc à Logica (1. *quoad subjecti formalitatem.* Metaph. enim ens; Logica operationes intellectus sibi vendicat. At quarum disciplinarum objecta specificè diversificantur illa realiter differunt, cum distinctum objectum distinctam requirat disciplinam. (2.) *quoad generis alietatem.* Etenim genus proximum Metaph. est sapientia, Logicæ autem habitus instrumentalis. At quarum rerum diversa generis est attributio earum realis intercedit distinctio. (3.) *quoad finis qualitatem.* Metaphisicæ enim finis est speculatio, Logicæ autem operatio; at duo illa differunt specie, quæ autem specie differunt, realiter differunt, quæ autem differunt realiter, κατὰδῶς à se invicnmdisterminantur. 2. *à notionum secundarum cum primis confusione.* Certum enim est ens esse νόημα πρῶτον; at Logici muneris est pertractare non πρωτονοήματα sed δευτερονοήματα. Si igitur ens esset objectum Logicæ, utiq; omnia instrumenta Logica appellationem notionum primarum induerent, *quale enim est Objectum, talia etiam sunt media Logica illius objecti.* At verò quia hoc absonum & inordinatum utiq; ens absolutè consideratum, objectum Logicæ non erit. 3. *à speciali entis pertractandi neglectione*; Si enim hoc objectum Logicum foret, utiq; illud in Logica pertrabitur aut *in statu solitudinis*, aut *in statu contractionis*, aut in *statu objectivæ existentiæ*, sive quoad ejusdem definitionem sivè quoad principiorum & affectionum determinationem. At neutrum fit. Igitur Ens absolutè consideratum ab objecto Logico verè ὡς εἰκῶς removetur.

## Concl. 2. *Ens rationis sivè transitivè sivè intran-*

*transitivè sumptum objectum adæquatum Logicæ non est.*

Non prout sumitur I. *intransitivè*, illud enim quia omnibus Disciplinis est commune, objectum disciplinare non constituit, eò, quod objectum non commune sed specificum sit oportet. Non II. *transitivè* esset enim hâc ratione subjectum Logicæ aut *tractationù* aut *operationù*. Non 1. *tractationis*, fieret enim ita objectum Logicæ, vel prout accipitur in *cõmuni*, vel prout accipitur *in particulari* quà denotat ens rationis cum fundamentali denegatione. Non *priori modo*, propterea quia in Logicis pertractatur neq; in actu signato penes definitionem & divisionem, neq; in actu exercito, sic enim ejus *tractatia* susciperetur in Logica, vel *ratione finis* vel *ratione medij*. Non *ratione finù*, nam is est rectitudo operationum intellectus ad veritatis indagationem. *Non ratione medij*, esset n. vel *cognitio practica*, vel *intentio secunda objectiva*. Non *cognitio practica* illa enim ens est reale. Non *intentio secunda objectiva*, quia hæc purum ens rationis non est sed subinfert hoc in connotato, & licet illud subinferat, tamen nihil inde adhuc evincitur, eò quod intentio secunda solum faciat subjectum Logicæ considerationis partiale. *Non posteriori modo*, quia sic induit rationem non-entis; at non-entis nullum genus est, nulla definitio, nulla causa. Non 2. *operationù*; foret enim id vel *adæquatum* & primarium vel *inadæquatum* & secundarium. Non *adæquatum*, quia nec in illud noëma noëmatum inducitur, nec circa illud operationes mentis directè instituuntur, Ergo *inadæquatum* duntaxat erit & secundarium. Potest enim intellectus illud indirectim cognoscere quatenùs per analogiam ad ens rei concipitur.

Concl. 3. *Ens reale spectatum per ordinem ad intentiones secundas quibus substare potis est, est objectum Logicæ sed mediatum principale.*

Logica enim functiones intellectus dirigit non ἁπλῶς sed ἐπικῶς per ordinem ad objectum cognoscendum quô mediante rectificari debeat. Etenim circa cognitionem rerum intellectus aberrare valet. Cum igitur nullum objectum cognoscens nominari queat quod non ad Ens sub hoc formali revocetur, sequitur entia & conceptus rerum

Logicæ: substerni posse, non prout talia sunt, sed prout idoneitatem induendi notiones secundas nanciscuntur. Si igitur sub territorio Logico comprehenderentur, quod certum, utiq; ad Logicæ objectum sunt revocanda aut *immediatum* aut *mediatum*. Non *ad immediatum*, quia finis habitus practici & forma rei agendæ & efficiendæ in res ipsas immediatè non inducitur, sed in operationes intellectus; Ergo *ad mediatum* non *minùs principale* sed *principale*. Quicquid circa res ceu objecta cognitionis mediante objecto operationis πρώτως dirigi potest, illud est objectum Logicæ mediatum principale; Atqui operationes intellectus circa res ceu objecta cognitionis πρώτως diriguntur, Ergo. Nam eò usq; progreditur Logica, quousq; ratio sese suis actibus in cognoscendo diffundit.

## ANTILOGIA. II.

### Voces pertinent ad Subjectum Logicæ, & Voces non pertinent ad subjectum Logicæ:

Dist. I. Inter *voces* quatenùs spectantur *absolutè* quà significationem, quò respectu easdem Lexicographia perpendit; & inter *voces* quatenus considerantur *respectivè* quà constructionem, juxta quam attendi possunt multifariã, vel enim conducunt 1. *ad sermonis puritatem* ut in Grammatt: vel 2. *ad sermonis venustatem* ut in Reth. vel 3. *ad manifestandam conceptuum veritatem* ut in Logica Dist. II. Inter *Subjectum Logicæ considerationis* tum *primarium* tum *secundarium* & inter *Subjectum operationis*, quod rursus duplex, vel *immediatum* vel *mediatum* & hoc *tum principale* ædæquatum & totale, tum *minus principale* inadæquatum & partiale. unde fit:

Concl. 1. *Voces sivè spectentur absolutè, sivè respectivè penes sermonis tum puritatem tum venustatem ad subjectum Logicæ non pertinent.*

Evincit hoc 1. *formalis Disciplinarum pertractandi ratio*, quæ voces in distinctis Disciplinis diversimodè pertractandas sub diversimodâ

modâ formalitate indagat, Materiale equidem vocum pluribus Disciplinis fieri potest commune, sed non formale, quia rem unam sub eadem formalitate ex instituto & munere proprio in pluribus Disciplinis pertractare ἄτοπον est 2. *specialis Disciplinarum conditio*, quarum nonnullæ voces essentialiter attendunt, ita ut ab ijsdē simpliciter abesse nequeant, nonnullæ verò easdem assumunt & pertractant non nisi accidentaliter; at diversitas respectus diversitatum mater est in objectis: 3. *Singularū vocum cognitio.* Si enim non specialiter per cognitionem distinctam in Disciplinis perpenderentur, oriretur harum insignis confusio; at â confusis semper est abstinendum. Ex datis ergò rationibus manifestum evadit, Logicam voces sivè absolutè sivè respectivè prout antea dictum, considerare non posse; illæ enim quia appropriatæ sunt Grā: & Rhet: Logicæ sub eo formali adijudicari nequeunt, *propria enim unius Disciplinæ non sunt propria alterius.*

## Concl. 2. *Voces quatenus conducunt ad internorum conceptuum manifestationem non sunt Subjectum Logicæ seu considerationis seu operationis principale adæquatum.*

*Non considerationis*, quia voces hoc modo unicè regulantur ad manifestationis veritatem. Jam verò Logica res cognoscendas intueri potest sub nudâ veritatis cognitione, quæ salva existit absque lingua interprete. Hinc Ar: l. 1. post. c. 8. ὃ πρὸς τὸν ἔξω λόγον ἡ ἀπόδειξις ἄλλα πρὸς τὸν ἐν ψυχῇ ἐπεὶ ἀδὲ συλλογισμὸς. *Non operationis* id quod probatur 1. *ab inhabili veritatis & falsitatis receptione.* Etenim voces utriusq; non sunt capaces, eò quod in iis conformitas & difformitas non detur nisi signanter & repræsentativè. 2 *Ab instabili dirigibilitatis admissione.* Nam possunt Entia directionem admittere sine vocum interventu, ita ut simpliciter circa solam rationem perfici queant. 3. *â dubitabili medij ac finis repulsione.* Voces namq; non sunt, 1. *finis Logices adæquatus*, hic enim cum nullus alius sit quam rectificatio operationum intellectus ad veritatem, utiq; voces excludit. Non 2. *media Logica*, quia nec cognitionem practicam nec intentionem secundam objectivam præ se ferunt: Igitur, quod Subjectum Logicæ considerationis & operationis non sint, probatum est.

Concl. 3. *Voces quatenus conducunt ad internorum conceptuum manifestationem sunt subjectum Logicæ & considerationis & operationis sed minùs principaliter intentum.*

*Considerationis* quidem, quia subjectum considerationis dicitur id quod in Disciplina quacunq; ratione pertractatur. At curat Logica nō tantū res, sed & terminos vocales, dum ad sensa cum alijs manifestanda conducunt; *Operationis* autem, sicut enim Logica δευτέρως circa voces & scripturas dirigendas occupatur, ita quoq; rectitudinem illarum intendit, quæ licet non fiat *principaliter* fit tamen secundario & *minùs principaliter.*

## ANTILOGIA. III.

Logicæ divisio in partem communem & propriam est bona, & Logicæ divisio in partem communem & propriam non est bona:

Dist. I. Inter *Logicam* ἁπλῶς & inter eandem ὑπαρκτικῶς consideratam, ibi perpenditur *præcisivè* prout ab omni Logica abstrahitur; heîc spectatur *respectivè* prout ad certum quendam autorem videl: Arist: adaptatur. Dist: II. Inter *Bonitatem absolutam* quæ rei simpliciter ex intentione competit; & inter *Bonitatem comparatam* quæ alicui rei tantum in certo genere convenit.

Concl: 1. *Logica ὑπαρκτικῶς ad Aristot: Organon spectata, benè in partem communem & propriam dividitur.*

Evincit hoc 1. *Aristotelis intentio* quippe qui solum Syllogismum Logicæ finaliter præfixum habet, cujus ratione bifariam potest dissecari, vel enim quædam ad illum finem facientia pertractari possunt *communiter*, de Syllogismo in genere ejusq; principiis, vel quædam considerari possunt *specialiter*, quà Syllogismi constitutionem & divisionem. At quot modis se habet finis in disciplinis practicis, tot etiam ejusdem constituuntur partes. 2. *Logicæ extruendæ occasio.* Tota enim

enim Logica ideò primitùs fuit adinventa ut Syllogismus omnis veritatis in Disciplinis sit velut lapis quidam Lydius, & caduceum quoddam Mercurii. Nulla enim vera notitia ex re dubia acquiritur nisi ad hoc tribunal Logicum confugiatur, siquidem ἀπόδειξις ἐστιν ἡ μήτηρ ἐπιστήμης. 3. *Logicæ principalis ratio.* Etenim Syllogismus omnes mentis actus includit, ideo illum principaliter ut finem intendit, ad quem cum collimet, distributionem ejusdem rimatur, quæ dispesci quit in partem, tum *communem* ratione generalis & â materia abstractæ formæ, tum *propriam*, quâ Syllogistica illa generalis & communis forma, certis limitibus ad certam materiam adstringitur.

## Concl: 2. *Logicæ divisio* εὐσιωδῶς *spectatæ in partem communem & propriam non est bona bonitate absoluta.*

Patet, idq; 1. *Ob finis alieni suppositionem*, utpotè cum Logica ut sic, non syllogismum sed rectitudinem operationum intellectus apposcat, quæ non ad tertiam per se ordinari debent, sed & independenter ab illa spectari queunt. Cum itaq; Syllogismus non sit finis Logicæ uti probatum Antil: 2. Utiq; nec hæc divisio absolutè erit bona, siquidem finis & divisio practicè conformari debent. 2. *Ob illegitimã rerum Logicarũ commensurationem*, quia Logicæ partes constituit per partem, videlicet Syllogismũ, cum tamen omnis recta divisio debeat commensurari ex aliquo tertio quod est objectum & finis. At divisio quæ rectè convenit parti totius, malè attribuitur toti. 3. *Ob divisionis cum diviso inadæquationem* quô est angustior, dum non omnia sub eo concluduntur quæ in tota Logica traduntur. Quò enim referunt doctrinam definitionis, Divisionis, & Methodi. Methodus n. ita pertinebit vel ad partem communem vel propriam, cum tamen pars hæc vicissim subdividatur in Analyticam, Topicam & Sophisticam illâ omissâ Conf. Keck. Log.

## ANTILOGIA IV.

Inventio & Judicium partes Logicæ sunt, & Inventio & judicium partes Logicæ non sunt.

Dist.

Dist. inter *Inventionem & Judicium* quatenùs considerantur *secundum suppositionem*, 1. *formalem*; h. e. quando pro rebus hisce vocibus importatis accipiuntur illa duo, eamq; *partim adæquatam* & totalem, quâ omnes mentis actus includuntur, *partim inadæquatum* & partialem, quâ nonnulla media Logica omittuntur, 2. *Materialem* quâ voces sumuntur pro semetipsis. Unde sit

## Concl: 1. *Inventio & judicium penes suppositionem formalem adæquatam spectata veræ sunt Logicæ partes:*

*Patet* quia hâc ratione per inventionem nihil aliud intelligitur, quam apprehensio terminorum simplicium; per judicium verò tum compositio & divisio, tum discursus, At cũ omnia hæc tria toti Logicæ sint consentanea, utiq; & hæc duo tali sensu non erunt abroganda, sed potiùs ut partes asservanda. In Philosophicis enim non tam verba quam res perpendi debent; Et hoc modo excusationem meretur Dominus Scheibl:

## Concl: 2. *Inventio & Judicium penes suppositionem & formalem inadæquatam & materialem spectata veræ Logicæ partes non sunt.*

Non *quoad prius*; sistitur enim Logica imperfecta. (1.) *Omittendo* prædicamentorum tractationem, (2.) *extendendo* nobilissimam demonstrationis doctrinam, (3.) *floccipendendo* Sophisticorum Elenchorum cognitionem. At quæcunq; divisio omnes partes non complectitur illa non est proba. Non *quoad posterius*: quia 1. Inventio requirit intellectus reflexionem super re excogitata, unde illa duo inseparabiliter sunt conjuncta. 2. Semper hæc duo locum obtinent conjunctâ operâ in quavis operatione mentis, uti satis id probat Clar. Dn. Jac. Mart. in Discurs. Ram. Igitur quod hæc divisio non sit bona, probatum est.

# ANTILOGIA V.

## Logica rectè dividitur in tres mentis operationes & Logica non rectè dividitur in tres mentis operationes:

Dist. I.

Dist: I. Inter *Partitionem alicujus Disciplinæ mediatam* quâ membra dividentia aliam divisionem præsupponunt, & *immediatam* quâ membra divisa ἐμμεσως nulla alia partitione præsuppositâ in esse, divisivo constituuntur Dist. II. Inter *Partitionem alicujus Disciplinæ* vel *ut* est *disciplina* vel ut est *Disciplina* aut *theoretica* aut *practica*. Jam sit:

## Concl: 1. *Logica in tres mentis operationes immediatè ut est disciplina practica non rectè dividitur.*

*Patet*, quia sicut disciplina Theoretica tribus absolvitur membris, videlicet *subjecto, principiis, & affectionibus*: ita & disciplina Practica commodè in tres partes dissecatur, videlicet in *Finem, Subjectum, & Media*. Cum verò supra probatum sit, Logicam esse disciplinam practicam, utiq; & hujus tenetur investigare distributionem, siquidem definitio & divisio, rei competunt in momento primo. Esse autem hanc disciplinarum practicarum distributionem legitimam inde dispalescit, quod *finis in subjectum introducendus sit per certa media*. An verò hæc tria tractationi ipsi sint inserenda à multis dubitari assolet, sed citra incommoditatem. Quæcunq; enim membra essentiam alicujus Disciplinæ totaliter exhibent, illa essentiali tractationi sunt inserenda; At hæc tria essentiam disciplinæ practicæ exhibent E. Major probatur. Quicquid spectat ad essentiam alicujus disciplinæ, id eâ salva manente abesse nequit. At si Finis & Subjectum in Prægnitis pertractari deberent, utiq; à Disciplina tanquam prægnita (juxta ipsorum sententiam) exulari possent. Min. prob. Cujuscunq; tùm proprietates tùm media in essentiali tractatione indagantur & inquiruntur, illud ipsum essentiali tractationi est inserendum. Atqui in omni Disciplina practica, Media Subjecto per finem introducenda indagantur & inquiruntur. Ergò. Verùm de his forte an alibi fusius.

## Concl. 2. *Logica in tres mentis operationes, tùm mediatè ut est Disciplina Practica, tùm immediatè ut est Disciplina abstractè dicta rectè dividitur.*

Occurrunt hîc sigillatim duo membra quæ specialiter perpendenda veniunt, quorum *Prius* innuit divisionem mediatam, *Posterius* immediatam, utrumq; probatum dabo, *Illud* quidem hâc ratione, quia Logica ut Disciplina Practica habet Finem, Subjectum & Media, at verò Media illa triplicis sunt generis, vel enim faciunt ad *apprehensionem*, vel ad *compositionem & divisionem*, vel ad *illationem & ordinationem*. Itaq; cum tota Logicæ natura tribus his absolvatur, uti mox dicendum erit, sequitur hanc divisionem mediatam esse bonam. *Hoc* vel inde manifestum evadit, quod quælibet Disciplina proprias insectetur partes secundum conditionem naturæ non habitâ ratione formalis ac generalis Disciplinarum partitionis. Cum verò sequentia tria, ceu sunt *1. νόησις ἀδιαιρέτων 2. σύνθεσις καὶ διαίρεσις 3. διάνοια* ductum naturæ insequantur, utiq; hâc ratione Logica verè distribuitur. Probo. Quotupliciter directio rationis perfici potest, totupliciter etiam Log: partes sunt constituendæ, quia hæc Disciplina unicè ob rectitudinem intellectus est adinventa. At verò tribus modis illa directio perfici potest, partim in terminis simplicibus, partim in Enuntiationibus, partim in Syllogismis & Methodo. E. hæc tria veræ sunt Logicæ partes, non quidem totius essentialis in partes essentiantes, nec totius universalis putà generis in species, nec totius integralis in partes integrantes quantitativas propriè dictas, sed totius integralis analogi in partes analogatas, quas entia per aggregationem non respuunt.

## SUPERPONDIA.

### *An Spiritus familiares appetere liceat?*

Negamus hoc contra Thrithemium Abbatem Spanhaimensem, qui in Steganograph: suæ præf: datum quæsitum affirmat, quem sequenti impetimus discursu. Est enim id ipsum planè diabolicum sivè respicias 1. *modum acquisitionis*; acquiritur enim Spiritus familiaris medijs *non licitis* sed *illicitis*, quod vel indè constare potest, quia modus ille acquirendi est (1) *dolosus*, dum in locis quibusdam à nonnullis Necromantiæ deditis, venalis expositus, pro naturali quodam medio hominibus maximè conducibili habeatur. (2) *Superstitiosus*, adjurant namq; homines Spiritibus istis in multarum ceremoniarum & verborum adhibitione, se lubentes esse ancillaturos, seq; totos tradi-

tuzos

turos. Quin& isti Spiritus Deo, ejusq; regno adversantur & se adorari ac certis ritibus coli gestiunt; imò impudenter exposcunt prout illud videre est apud Henr. Cornel. Agipp. de occult phil. (3) *formidolusus.* Sentientes enim tales Pneumatoduli se Spiritum retinere possessum primitùs expavescunt, eumq; tanquam suæ carnis hostem metuunt. 2. *modum institutionis* est enim hic. Non [1.] *Legitimus*, quia à DEO Trismegisto in verbo suo non approbatur, quandoquidem in Sacra Scriptura est (a.) ἄγραφος, Siquidem de hisce Spiritibus in æquissimâ verbi divini lance ne apex quidem habetur nedùm eosdem ut insectaremur, literis est consignatum, *quæ autem Scriptura tacet tacendo negat*, sonat canon veterum. (b.) ἀνάγραφος tum *in genere.* Nam omne quod labore & sudore vultus cupimus, ut capiamus Deus ordinavit Gen. 3. v. 19. אַפֶּיךָ תֹּאכַל לֶחֶם בְּזֵעַת, Jam verò erudiri à Spiritu familiari & plurima cognoscere minimè laboriosum est; tum *in Specie* Deut: 18. v. 11. & 12. Luc: 16. v. 27. & 28. Sed [2.] *Illegitimus* quia illi ἄνθρωποδίδακτοι non sunt *Angeli Boni*, hi enim 1. ordinario modo ad homines occultè instituendos hodiè non amandantur, neq; 2. à Deo ut perpetuò apud hominem maneant ablegantur; neq; 3. se à Deo missos esse fatentur, neq; 4. se ab hominibus adorari patiuntur Vid. *Dn. D. Meisn.* pluribus hasce rationes deducens. *Phil. Sobr. part: 2. sect. 2. m. p. 558. 559.* & seq: *Sed Angeli Mali*, id quod vel inde liquet; quia tenebras amant & lucem reformidant, non palàm & ad extra loquendo, sed clàm & tacitè insusurrando vel inspirando quæ suos scire volunt, & si quando apparent, quod tamen ægrè faciunt, formam exhibendo à Majestate angelica alienam. Undè quia bonitatem & probitatem refugiunt, etiam ipsam institutionem bonam non esse quivis videt; est enim ea ut plurimum (a.) *Vana*, Equidem hominibus revelant non res cælestes & divinas, quæ facerent tum *ad pietatem ergà Deum*, tum *ad probitatem ergò proximum*, sed mundanas sæpè otiosas & ludricas, imò nonnunquam comilitonibus nocivas. (β.) *Vesana*, quandoquidem in rebus venturis & futuris ponuntiata ad meras fallacias & deceptiones contorquent, ut utramq; contradictionis partẽ sustinere valeant. (γ.) *Inhumana*, eò quod animos hominum à pietate ad impietatem traductos multiplicibus irretiant laqueis & in infandum extremæ

tremæ crudelitatis barathrum deducant ac detrudant. Notus est atrox & tragicus Simonis Samaritani, celebris istius Magi eventus, qui Romæ sub Claudio Cæsare propter magiam statuâ donatus est, cum hâc inscriptione; *Simoni Sancto Deo.* Nam iste tandem velut in aêre volans â suo Spiritu vectus & dejectus miserrimè interiit, atq; in infernũ horribiliter descendit. plura Exempl. videſ. apud *Wier*: l. 2. de *præstig*: *Dæm.* c. 4. 3. *Modum reservationis*: Patiuntur enim isti Spiritus se ab hominibus cogi, ad cuncta flecti, loco, qualis etiam fuerit includi: vitris, crystallis, annulis circumferri. Tantam ergo coactionem quia Boni Angeli & ob dignitatem & ob vitandam suæ essentiæ ab homine contemptionem recusant, sequitur Martinellos istos & Paredros, ipsos existere cacodæmones & ob id omninò non esse appetendos.

*Cur famosi Libelli dicuntur Pasquilli?*

Resp: fuit quondã *Pasquillus* Sartor Romanus atq; adeò Pontificius, qui ob vitia Papam & Papæ senatum, id est, cardinales mira libertate & impunitate vellicabat. Eo mortuo cum propè tabernam ejus statua marmorea gladiatoria habitu effossa & eodem loco erecta esset, joco populari Pasquillus appellari cæpit; quod illic ob dicacitatem notissimus Magister Pasquillus habitasset. Et quemadmodum ille vivus hominum vitia insectatus fuerat: ita nunc post mortem ejus statua epigrammatophora munus subiit Illi enim omnes generis scripta maledica noctu affiguntur, quæ inde Pasquilli nomen sibi vendicant, uti habet *Theatr. vit. hum.* vol. 2. lib. 3. f. 3709. in verb. pasquill. citant. *Panciroll. lib. rer. mem.* part. 2. tit. 2. p. 81.

*Qui fit quod Dolia marina ostiis Oceani injecta Mari innatent?*

Resp. quia spiritu, flatibus ac aêre copioso sunt oppleta, qui cum suâ naturâ superiora petant, unà secum subjectum continens in sublime ferunt, quod licet per maximam fluctuum agitationem summâ vi detrudatur, semper tamen (nisi rimula pateſcat) à turgescentibus flatibus & spiritu aêreo attollitur, ut hinc Nautæ Doliorum ope tutum portum consequi ac loca vadosa declinare queant.

# ANTILOGIA I.

## Terminorum Simplicium tractatio in Logicis præmittenda est: & Terminorum simplicium tractatio in Logicis præmittenda non est:

Disp. V *Respond.* Andrea Lerthenio Brunswicensi.

DIst: I. Inter *Terminum* sumptum vel Χαύνως seu *remissè* pro quavis in aliqua Disciplina appellandi & nuncupationis voce, vel στενῶς seu *concisè* pro instrumento logico actus mentis cognoscentes dirigente. Dist: II. inter *Terminum absolutum* seu simplicem & inter *Terminũ conjunctũ* seu complexivum. Terminus simplex est qui apprehensivam intellectus functionem dirigit. *Terminus conjunctus est* qui judicativæ mentis facultati inservit.

### Concl: 1. *Terminorum simplicium & concisè consideratorum tractatio in Logicis præmittenda est.*

Probo idq; 1. *ob generalem terminorum considerationem.* Si enim datur generalis terminorum cognitio, utiq; illa in aliqua disciplina est cognoscenda. Absurdum enim est, aliquid sciri posse, & in nulla disciplina pertractari. Erit itaq; *terminorum consideratio*, vel *Realis*, vel *Notionalis*. Non *Realis*, quia tota eorũ notio est instrumentalis qua à terminis realibus causa causato, toto, parte, Subjecto Adjuncto discriminantur, hæc enim cum sint Entia realia & reali cognitione mentem imbuant, non possunt nec debent in notionali disciplina pertractari. Quia igitur terminorum consideratio non est Realis; erit ergò *instrumentalis*. Si *instrumentalis* eorum tractatio erit aut, *Grammatica* aut *Rethcorcia*, aut *Logica*. Non *Grammatica* quia

finis & modus tractandi planè est diversus. In Gramm: considerantur ut organa purè dicendi. In Logica ut organa benè ratiocinandi. In Gramm: finis est pura dictio, In Logicis pura ratiocinatio. Non *Rethorica* termini enim in se respuunt omnem ornatum. Ergò *Logica*, probo. quicquid bonæ ratiocinationi aut ordinationi logicali inservire debet id est considerationis Logicæ. At Terminorum generalis cognitio organica bonæ ratiocinationi inservire debet. Ergo. Minor probatur. Inserviunt enim termini generales [1.] *ad Logicam ordinatè tradendam* qua à simplicibus seu generalibus ad specialia & composita est progrediendum, principium enim cognitionis est apprehensio simplicium. At Logica licet sit Disciplina practica tali procedit ordine. Igitur quod in Logicis hic ordo sit observandus non est dubium. Objicis verò: omnis disciplina practica progreditur à compositis ad simplicia Atqui Logica est disciplina Practica. Ergo. Resp. ad Majorem: omnis disciplina practica moralis progreditur à compositis ad simplicia. At Logica non est Disciplina moralis sed rationalis, quæ juxta modũ tractandi partialè sese diversimodè ad methodũ tùm synthetica tum analyticam dimittit. Et uti Syntaxis orationis in Grammaticis non consistit sine prævia cognitione partium orationis, ita nec Syntaxis rationis in Logica quoad enunciationem, argumentationem & ordinem nisi prius termini simplices è quibus illa ritè cognoscuntur. Ex terminis enim apprehensis proximè nascitur Enuntiatio, si vel componuntur vel dividuntur: ex enuntiationibus autem est Syllogismus & Methodus ut habet acutissimus seculi nostri Logicus Dn. Michael. Esler. Palæstr. Log. consl. 2. p. 39. [2.] *ad structuram thematis componendam & resolvendam* dum per hanc doctrinam termini distinctè tractari possunt & in terminos suos resolvi analysi Logica 2. *ob generalem objecti Logici expositionem*. Objectum enim immediatum cum sint operationes, & verò operatio in generalibus terminis institui possit rationaliter, sequitur citra fallibilitatem omne id in Logica pertractandum esse, quod sub ejus Objecto contineri potest. objectũ enim dicitur id ad quod omnia revocari debent. 3. *ob distinctam Logices tractationem*. Si enim termini in prima parte non pertractarentur, sequeretur quod in compositione propositionum,

eorum tractatio sit instituenda. Quandocunq; enim efformanda esset oratio infinita, utiq; tum quid terminus infinitus sit explicandum foret. At id maximam importaret confusionem; Dictincta enim distinctè sunt pertractanda.

## Concl: 2. *Terminorum conjunctorum & remissè sumptorum tractatio in Logicis præmittenda non est.*

Quicunq; termini vel fines & metas Logicæ excedunt vel easdem attingunt duntaxat partialiter & non apprehensivè, illorum tractatio in Logicis præmittenda non est. At termini conjuncti & τενῶς considerati, sunt Reales. Ergò. Minor duo involvit I. *An omnium disciplinarum termini in Logica sint pertractandi.* N. quia 1. Si Logica omnes Disciplinarum terminos pertractaret, foret illa pars Philosophiæ propriè dicta utpotè cũ circa realia foret occupata. At cum Disput: 3. Antil. I. probatum sit Logicam partem Philosophiæ propriè dictam non esse, sequitur quod Logica omnes terminos Disciplinares pertractare non teneatur. quia 2. Logica terminos tantùm ὀργανικῶς & directivè pertractat. At hoc modô reliqui Disciplinarum termini Logicæ proprij fieri non possunt. quia 3. omnium Disciplinarum mira oriretur confusio. At confusio ceu mater errorum sedulò vitanda. II. An *omnes promiscuè termini Logici, in Logica sint præmittendi?* N. quicquid juxta distinctionem rationis ratiocinatæ distinctum intellectus admittit actum, ut nullâ ratione prorsus sub apprehensiva intellectus functione comprehendi queat, illud in Logica præmittendum non est. At termini conjuncti juxta distinctionem rationis ratiocinatæ distinctum intellectus admittunt actum ut nullà prorsus ratione sub apprehensiva intellectus functione comprehendi queant. Ergo. Minor probatur quia Distinctorum actuum intellectus distincta datur cognitio, quæ non est tantùm rerum sed & terminorum.

## ANTILOGIA. II.

### Omnis terminus est significativus: & Non omnis terminus est significativus.

Dist: I. inter *Terminum significativum*, & *non significativum* quatenus considerantur aut ex *intentione loquentis* aut ex *arbitrio imponentis*. Dist: II. inter *Terminum significativum* quando spectatur, vel in Linguâ *indeterminatâ* vel in linguâ *determinatâ* & diversa. Dist: III. inter *Terminum significativum* quatenus attenditur aut ex parte materialis, aut ex parte formalis.

## Concl. 1. *Omnis Terminus in Linguâ determinatâ spectatus ex parte tum materialis, tùm formalis, juxta intentionem loquentis est significativus.*

Patet quoad singula. Dico enim 1. *In lingua determinatâ*. Nam vox potest esse significativa in unâ linguâ, ut in aliâ, ab hâc diversâ fieri possit non significativa, quia Linguarum discrepantia diversarum vocum est placentia. Dico 2. ex *parte* (a) *materiali* propterea quod unica litera per se sumpta terminirationem induere valeat, quandoquidem propositionis compositionem ferre non recusat. Dicere enim possum C. est consonans; A. est vocalis. (b) ex *parte formali* quia vox non pro se, sed pro re cui significandæ ex communi hominum θεσαιρέσι fuit imposita, assumitur. Dico 3. ex *intentione loquentis* Nam vox h.l nihil aliud est quàm manifestatio conceptus. At quicquid debet manifestari per vocem, illud perse significandi habet aptitudinem, cum omnis terminus sit signum naturale loquentis. Undè taliter argumentamur: Quicquid subinfert χέσιν signi ad rem signatam id significativum sit oportet. Atqui omnis Terminus ex parte tum materialis tùm formalis, χέσιν signi ad rem signatam subinfert. Ergo est significativus. Major patet, quia omne signum respectum habet ad suum signatum. Omne autem signatum in signo vim obtinet significandi, siquidem signum est quod potentiæ cognoscenti aliquid representat. Min. prob. dupliciter 1. *ex parte materialis*. Habent enim res in se idoneitatem induendi voces, quibus mediantibus cum homine communicari volunt tanquam bonum aliquod naturale per manifestationem. At homo cum sit animal πολιτικὸν teste Aristot. l. 1. Pol. c. 2. natura

eidem

eidem suppeditavit usum sermonis qui est κοινωνίας ὄργανον, quod si denegaretur, societas hominum è statu conversationis detruderetur. At hoc inconveniens imò inpossibile: Est enim sermonis formatio seu loquela nihil aliud quam potentia ab ipsâ animâ rationali fluens, quâ animi sensa in apertum homo profert. Remotâ autem istâ potentia removeretur anima rationalis ab unione corporis, igitur res ipsas potentiam obedientialem habere induendi voces necessum est 2. *ex parte formalis*, quicquid immediate stare valet pro suo significato illud est significativum. Atqui omnis Terminus immediate stare valet pro suo significato. Ergo omnis Terminus est significativus. Min. rursus probatur, quia in hac propositione: Homo est animal, voces non verificantur de seipsis sed de rebus. Hic quæritur *An etiam Voces significent conceptum*? Affirmamus nos cum Dn. Weger. his rationibus quia 1. auditâ voce non tantùm certi sumus de re; sed & possumus esse certi de cognitione loquentis. Ergo vox non tantùm est signum rerum sed & conceptuum. 2. Voces significant ex hominùm intentione. At horum intentio fuit per voces manifestare conceptus. quia 3. Si voces non significarent conceptus, non daretur mendacium quod est dissensus vocis & conceptus.

## Concl. 2. *Non omnis terminus si consideretur in Linguâ indeterminatâ ex arbitrio imponentis, est significativus.*

Prob: quicquid placito & arbitrio hominum ad aliquid significandum assumitur, quod de se non significabatur, illud facit terminum non-significativũ. At omnis terminus in linguâ indeterminatâ spectatus placito & arbitrio hominum assumitur. Ergo omnis terminus in linguâ indeterminata spectatus terminus est non-significativus. Min: prob. 1. si voces per naturam ex se ad significandum essent obtentæ; non tantô laboris incrementô linguarum peritia addisceretur. 2. Non tanta linguarum oriretur variatio. Ad finem enim loquelæ consequendum, sc. conceptuum manifestationem, vel una sufficeret lingua. 3. non tanta linguarum nasceretur mutatio, cum naturalia non mutentur. Arist: lib. 2. Eth: cap. 1. 4. Si

nomina sunt à naturâ; sunt *aut à naturâ rerum* quæ appellantur, *aut à naturâ hominũ appellantis*. Absurdum utrumq;. *Prius liquet*. Essent enim nomina naturæ rerum naturaliter impressa. absonum adhuc. Res enim omnes apud omnes ejusdem essent nominis. Patet hoc, quia natura ubiq; & semper eodem se habet modo. Aqua ubiq; locorum humectat. Ignis ubiq; terrarum calefacit. Jam quamlibet ferè nationem rebus iisdem diversa imponere nomina quis nescit? quomodo ergò naturalia? quomodo earum significationes ex natura rerum? *Posterius patescit*. Si enim voces essent à natura appellantis omnis terra foret unius labij, sicut apud omnes homines ijdem rerum conceptus. Sunt enim omnes homines unius naturæ unius speciei. Omnes etiam linguæ usu & institutione addiscuntur, deficiente usu dediscuntur. Secus se habent ea quæ à natura sunt. Quod Scal. probat exemplo avium. Aviculæ inquit suâ in specie æquè idem cantillant omnes. At quod ab arte est & discunt & dediscunt l. 3. de c. ll. c. 67. Ne autem defectus naturæ in rebus ad perfectionis complementum necessarijs accusari possit, notandum hîc εὐαρμόστως distingui posse, inter loquelam determinatam, & indeterminatam, prout etiam in conclusione fuit indigitatum. Hanc quidem natura largitur, sed non illam eò quod crebrâ institutione veniat acquirenda. Cæterùm si quæratur *An igitur nomina sint penitùs fortuita an certo consilio*? Respondemus cum Scalig. l. 3. de c. ll. c. 59. Multa nomina temerè extitisse primùm sine flexu, sine ornamento, quo tempore nondum rerum naturæ conditæ fuissent: ab his multa simplicissimè dicta, ut flexiones: alia immutatis particulis ut denominativa & alia ejusmodi: nonnulla distorta sunt compositione. Quod autem in quædam principia deducantur, in quibus necesse sit sistere intellectum; id ex rebus patet naturalibus, ubi nullum infinitum, & in vocibus ipsis sic constabit. Amaritudo ducetur ab amaro; amarum à Mari. Mare unde derivabitur? ab Hebræo מָרַס. Quæro porrò unde sit hoc. Ut fingas quod velis divertendum est ad unum in quo conquiescas; quod aliorum causa sit; ipsius nulla sit causa. vid. J. Mart. cent. 2. quæstion. philosop. Disp. 9. q. 1.

ANTI-

# ANTILOGIA III.

## Homonyma in Logica sunt pertractanda: & Homonyma in Logica non sunt pertractanda.

Dist: I. inter *Homonyma* quæ sunt 1. *Physica*, quorum natura communis majori perfectionis differentia limitatur. 2 *Grammatica* quæ aliàs dici solent πλύσημα, quando voces plura sub diversa essentiæ ratione significant. 3. *Logica* ab Arist: categ. cap. 1. t. 1. dicuntur ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν ὁ δὲ κατὰ τοῦνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. Dist: II. inter *Homonyma* considerata vel *formaliter*, & signatè quâ ratio æquivocorum communis attenditur quidditativè: vel *materialiter* & exercitè quâ in particulari pro hoc vel illo individuo assumuntur.

### Concl: 1. *Homonyma Logica signatè spectata in Logica sunt pertractanda.*

Probationem hujus conclusionis ut suppeditemus, commodè illa tribus quæsitis absolvetur, quorum I. *An Homonyma dentur* Affs contra Diodor: Cron: citante Aul: Gell: in noct: att: lib. 11 cap. 12. Voces enim, cum non sint à natura sed ab hominu arbitrio pendeant, uti id probatum fuit Antil. 2. hujus Disp. concl. 2. fit ut istæ pluribus rebus ad diversa significandum accommodatæ sunt, quarum quædam non tantùm causaliter & fortuitò, sed & actualiter & ex consilio sint adaptatæ, partim recordationis, partim expectationis, partim dilectionis causa. II. An *Homonyma in Antepradicamentis sint pertractanda?* Dist: inter *Antepradicamenta*, quæ tal[illegible]ntur, vel quod eorum tractatio citra adæquatam rerum suarum cum prædicamentalibus coexistentionem instituenda veniat; vel quod illorum tractatio prædicamentis sit coexistentenda simpliciter ac velut προδιδασκαλία illorum explicationi per se inserviens dirigenda Non posteriori sed priori ratione κατὰ πλάτος inistitui possunt, quandoquidem Homonyma Synonyma & Paronyma dantur non tantùm in rebus prædicamentalibus sed & extra prædicamentalibus, qua Prædicamenta transcendunt, non tantùm *Entitatis* sublimitas

*mitate* ratione tùm communitatis, tùm singularitatis, sed & *Entitate debilitate*, unde quia horũ tractatio multò latior est prædicamentali utiq; ante Prædicamenta instituenda est. III. *Quomodo Homonyma in Logica sunt pertractanda?* Resp. ut termini inepti, dùm enim intellectus veram propositionem construere tentat, cavere sibi debet ab ineptitudine terminorum æquivocorum, qui, si quando propositionem sine limitatione & restrictione dispositam ingrediantur, fit ut maximus ibi deprehendatur Error, cum πᾶν τὸ πολλαχῶς λεγομενον ἀσεβὲς εἶναι. Commodè igitur in Logica tractari possunt, eò quod suo modo veritatis acquisitionem promoveant non quidem aptitudinem prædicationis in æquivocis exercitè consideratis ostendendo, sed ineptitudinem ut ab ijs nobis cavеamus aperiendo.

## Concl. 2. *Homonyma exercitè considerata, prout sunt vel Grammatica vel Physica directè in Logica non sunt pertractanda.*

Patet, quia *Homonyma Grammatica* tantùm faciunt ad sermonẽ purè informandum non ad rationem. At Logica præcipuè rationem dirigit, & licet etiam in orationem directio Logica instituì queat, consideratur tamen illa in Logicis, non quà sermonis puritatem, sed quà manifestationis veritatem. *Homonyma autem Physica* nihil aliud sunt quàm Analoga inæqualitatis, quæ naturam aliquam communem dispari ratione participant, aut æqualiter participatam formis ac differentijs majoris ac minoris perfectionis limitatam habent, undè ob illam communicationem rectius revocantur ad univoca, quàm ad Homonyma. Dixi autem quod *directè* in Logica non sint pertractanda, propterea quia aliam à Logicis Homonymis habent formalitatem. At ubi datur distincta rerum formalis ratio, ibi diversa instituitur tractatio. Possunt tamen interea institui à Logico indirectè ac per accidens, partim ut per oppositionem eò melius queant dignosci, partim ut in cognitione distincta facilius possint discerni. Conferatur Clarissimus Dominus M. *Michaël Eiflerus*, Palestræ Logicæ consi. 3. & 4. pluribus accuratè hæc ipsa deducens.

ANTI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0072
DFG

## Analogia cum univocatione consistere potest: & Analogia cum univocatione consistere non potest.

Dist: I. inter *Analoga homonymica*, & Analoga *synonymica*. *Illa* sunt quando identitas nominis in rebus ipsis adinventa obtinetur, estq; vel attributionis vel assimilationis & hæc partim similitudinis, partim proportionis. *Hæc* sunt ubi communis ratio essentialiter attamen æqualiter, & cum dependentiâ unius ab altero participatur. Dist: II. inter *Univoca* quæ sunt talia, vel *per omnimodam convenientiam*, ubi ratio communis non solùm ὁσαύτως participatur, sed & ἴσως ad inferiora limitatur; vel *per inæqualitatù Analogiam*, ubi ratio æq; primò quidem participatur, sed inæqualiter ad inferiora limitatur. dequibus accuratè agit Dn. Eisl. Palæstr. Log. Consl. 3. & 4. Dist. III. inter *Analoga* considerata vel *materialiter* respectu rerum diversarum, in quibus fundantur, vel *formaliter* secundum rationem præcisam. Dist. IV. inter *Univoca Physica*, quæ in suis univocatis inæqualitatem Differentiæ à forma oriundam obtinent & *Univoca Logica*, quæ tantùm consistunt in unitate naturæ pluribus communis non habitâ ratione nobilioris formæ specificæ

### Concl. 1. *Analogia homonymica formaliter spectata cum univocatione Logica consistere non potest.*

Pro 1. à *rerum distinctarum formalitate*. Obtinent enim distinctã formalis rationis alietatem Homonyma, distinctam Synonyma & Univoca, illa exhibent rationis substantiæ in communi nomine diversitatem, hæc præbent rationis substantiæ in communi nomine identitatem sive simpliciter sine dependentia unius membri ad alterum, sive secundum quid cum unius membri ad alterum dependentia. At quæ formaliter differunt illorum unum cum altero secundum identitatem convenire non potest 2. à *Proprietatum in singulis inæqualitate*. Etenim dantur alia κεκτήσια in Homonymis alia in univocis. Homonymorum hæ sunt: (1) rerum plurificatio. (2)

unius nominis participatio (3) definitionis essentialis alienatio. (4) Respectus ad nomen identificatio. In Synonymis occurrunt (a) rerum pluralitas (b) nominis communitas (c) Definitionis unitas (d) attributionis essentialitas. Jam verò quarum rerum proprietates sunt diversæ, illæ formaliter oportet sint distinctæ; *à specificâ Utrorumq; disparitate.* Nam Analoga homonymica à synonimicis specificè discernuntur, cum diversam induant naturam. At quæ differunt specie, differunt realiter. Rerum autem realiter diversarum mutua & identifica non datur consistendi via dicente Ridon. in doctr. Syn. p. 38.

## Concl. 2. *Analogia Synonymica materialiter spectata cum univocatione Physica consistere potest.*

Etenim utraq; harum videl: Analogia & univocatio fundamentaliter conspirant, undè tùm quidditatis identitatem participant in communi; At ubi eadem quidditatis est communio licet remota, ibi bona datur consistendi unio. Præterea Analoga inæqualitatis verè sunt Analoga. Ergo hæc duo simul consistere possunt. Prob. connexio; quæcunq; nomen habent idem & rationem substantiæ communi nomine significatã eandem sineq; dependentia participationis unius ab altero, illa sunt synonyma exquisita seu verè univoca. At Analoga quidditatis sunt talia, eò quod & nomen & ratio substantiæ nomini accommodata una est in se, & ex æquo omnibus inferioribus competens, quod ad univocationem sufficit. Quod verò concernit diversitatem differentiarum, illa huic univocationi obesse nequit, quia illa in ratione generis præcisâ non incurrit, sed tantùm in differentia. Jam verò notum est, quod omnis differentia sit extra rationem genericam, eamq; nonnisi respectu paronymico afficiat. Hìc quæritur: *An Synonyma cum univocis constituant partem Logicæ essentialem?* A. quia complectitur aptitudinem prædicandi consentaneam rectitudini primæ intellectus functioni destinatam & in tota rerum simplicium structura occupatam. At verò tale medium Logicæ simpliciter est necessarium in esse totali. Quin igitur Synonyma pars Logicæ sint essentialis non est cur quispiam dubitet?

ANTI-

# ANTILOGIA V.

## Omne Paronymum prædicatur accidentaliter: & non omne Paronymum prædicatur accidentaliter.

Dist. I. inter *Paronymum Grammaticum* & *Logicum*. *Grammaticum* nihil aliud est, quàm exuperantia dictionum ejusdem quoad numerum syllabarum. *Logicum* est quod ab aliquo ita ut differat casu nominis appellationem sortitur. Estq; aliud *paronymans*, quod est vox paronymica paronymata significans, aliud *paronymatum* nihil est aliud quàm res deducta ab alio Subjectum in quale denominans. Dist: II. inter *paronymum* seu denominativum *essentiale* & *accidentale*. *Illud* denominat suppositа, hoc subjecta. Dist. III. inter prædicationem accidentalem, vel quatenus æquipollet ad τὸ *accidentaliter adesse*, imperfectionem importans, vel quatenùs æquipolletad τὸ non-essentialiter, omnem imperfectionem removens.

### Concl. I. *Omne paronymum Logicum paronymatum prædicatur accidentaliter.*

Prob. I. ab *immediata terminorum oppositione*. Duplicem enim habemus nexum terminorum consentaneorum in rebus prædicamentalibus, reliquis salvis manentibus, vel extraneum & quidditativum, vel intraneum & non quidditativum s. accidentalem, eumq; tùm necessarium tùm contingentem. Cum itaq; omne synonymũ, prædicetur essentialiter, vi oppositorum nullum dabitur paronymum quod non prædicetur accidentaliter. 2. A *completâ κεφαλαίων enumeratione* quæ à prædicatione essentiali dantur diversa, qualia sunt convenientia initialis, differentia finalis, discrepantia essentialis. At hæc λόγον τῆς ὄσίας subjecto non attribunt; igitur necessario respectum qualitativum subinferunt, cum prædicentur in quale. At quæ prædicantur in quale, prædicantur accidentaliter. 3 à *denominativa Essentiæ consecutione*. Licet enim quædam res ex principijs subjecti emanent essentialiter, interim tamen prædicatio Essentialis non datur, cum heîc solummodò attendatur alietas rei ratione quidditatis. Quicquid autem rem secundum essentiam constitutivam non denominat illud prædicatur accidentaliter. Dico

verò in specie paronymum *paronymatum* ad indigitandum non voces significantes sed res significatas, siquidem denominativa ab alijs deducuntur realiter per voces significatas, qualis enim forma, tale est formatum.

## Concl. 2. *Non omne paronymum quà denominativum Essentiale, prædicatur accidentaliter, si strictius est τῷ non essentialiter.*

Dico 1. *quà denominativum essentiale.* Denominativum enim, supposita denominans prædicatur essentialiter, at denominativum denominans subjecta prædicatur accidentaliter juxta *Scotum* q. 16. Dico 2. *Si τὸ accidentaliter strictius sit τῷ non-Essentialiter.* Paronyma enim eminentia si quando prædicationem ingrediuntur, non prædicari possunt accidentaliter cũ accidentis advenientia, quædam enim paronyma ita sunt unita realiter, ut in æternũ divelli non possint. At accidens prædicabile importat adesse, igitur quædã dabuntur prædicationes paronymicæ quæ accidentaliter prædicari non possunt At dicis, quicquid dicitur, prædicatur aut essentialiter aut accidentaliter. Nego si terminũ τὸ accidentaliter accipias strictè, valet quidẽ illud in rebus prædicamentalibus ut anteà dictũ; quamvis & in his non sit simpliciter verum. Sic dicitur extra-essentialiter: corpus est animatum, non tamen strictè accidentaliter. At verò ad omnes res id si extendere volueris absurdus eris. Nam in eo formalitas Paronymorũ consistit ut notificetur conceptus, inter quos respectus extraessentialis est in unione non essentiali fundatus: cujus signum est, posse citra destructionem essentiæ saltem præcisionem entis ab eadem abesse. Neq; refert qualiscunq; sit natura, modò χέσις essentialis exulet uti inquit Dn. Eifferus. Aliud igitur est rei cõpetere extraessentialiter & paronymicè; aliud eidem inesse accidentaliter & subjectivè. Ita, Deus est Creator, dicitur à nonnullis prædicari paronymicè, quum tamen creatio haud insit Deo per modum accidentis. Non itaq; omne quod rei convenit modo extraessentiali dicendum est accidentaliter inhærere; potest enim convenientiæ fundamentum esse vel unio substantiarum, vel ex parte rei nulla unio sed alia quædam habitudo.

Corol-

# COROLLARIA.

*An Strigiportium aëreum à Diabolo realiter perfici queat?*

Dist: inter id quod fit semper, & inter id quod fit aliquando. Semper Sagarum corpora de loco ad locum esse translata reclamat experientiæ, quæ sæpenumerò corpora earum eodem loco jacentia, nec inde mota fuisse testatur inventa, hinc ... ut Dæmon phantasiam mirificè afficiat, quâ vinctis interioribus unctisq; externis sensibus adeò corporei sensus consopiuntur, & phantastica illa imaginamenta ita animo obversantur ut experrecti credant se audivisse & vidisse & feciſſe quæ nunquam contigerunt; quam sententiam tantùm amplectuntur *Alciat* l. 8. *Pareig.* c. 22. *Baptist. à Porta l. 2. Mag. nat.* c. 26. &c. Transportari autem corpora Sagarum nonnunquam à Diabolo, probamus. (1.) possibiliter ita fieri posse. Nil enim huic possibilitati quicquam obstat, si verò quiddam obesset, foret illud aut *corpus Movens*, aut *corpus movendum*, aut *motus modificatio*. Non *corpus movens*, hoc enim Diabolũ permissu divino citra ullam difficultatem assumere & transvehere posse monstrat [1.] *Tentationis Christi Historia*, Math. 4. v. 8. cujus corpus realem aëris transportationem passum fuisse, testantur *Ambros. Chrysost. Balduin.* l. 3. de cas. consc. c. 5. cas 7. p. 737. [2.] *Exemplorum in Bonis Angelis memoria*. Si enim corpora hominum à Bonis Angelis corporaliter in sublime transvehi possunt, utiq; per concessum Dei eadem ab Angelis malis transportari posse non repugnat. Ratio connexionis est quod Angeli mali cum Bonis ejusdem sint naturæ & potentiæ, & quamvis illi per lapsum amiserint dotes gratiæ, retinuerunt tamen dotes naturæ, quodq; Boni faciunt Deo jubente, illud Mali eodem permittente facere possunt. [3.] *Simonis Magi Tragadia*, quem alarum dæmoniacarum remigio in æthera subreptum esse testes adsunt: *Egesipp.* l. 3. *hist. Arnob.* l. 2. *contra Gentes.* &c. Non *corpus movendum*, quia potestas & virtus dæmoniaca longè majoris est conditionis quam vel corporis moti obsistibilis reactio, vel ejusdem degravatio. Non *motus modificatio*, Vis enim & agilitas angelicæ naturæ brevi temporis spatio ad locum remotum aliquid deferre potest. Conf. *Johan. Conrad.* Schragmüller *in Tract. stecheol. Disp. 4. probl. 2.* (2.) actualiter autem corpora

pora transportari multivaria testatum dant exempla, ex omnibus unum sisto ex *Grillando. l. 1. de sortileg. q. 1. Anonym. in Tract. mag.* p. 42. & 43. Mulier quædam Sabinensis diœcesis hanc profitebatur artem diabolicam, de quâ cum maritus suspicionem haberet, eam pluries interrogavit, quæ semper negavit. Maritus verò in suspicione suâ persistens anxiè veritatem perquirebat, qui adeò astutè se gessit, quod vidit illam quadam nocte se ungentem, quâ unctione peracta vidit eam celerrimè, quasi avem volitantem, reducere, & ex superiore domus solario ad inferiora descendentem. Illam maritus sequens, ut videret quo tenderet, ampliùs eam non videt, & accedens ad portam domus invenit eam clausam, quæ res magnam ei præbuit admirationem. Die vero sequenti iterum maritus, uxorem interrogat, quod anxiè scire cupiebat, & illa constanter, ut anteà se nescire dixit. Maritus verò, ut amplius negare mulier non posset, apertè ei dixit omnia, quæ præteritâ nocte illam feciſſe viderat, deindè fustibus illam graviter percutit, & duriora minatur, nisi veritatem dixerit, quàm si apertè expofuerit, veniam se illi daturum promisit. Mulier igitur se jam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit, quam illi maritus hac conditione indulsit, ut illum ad tales congregationes adduceret. Illa verò ut veniam impetraret, facilè petita promisit, & promissum ex licentia Sathanæ implevit. Adductus igitur ille ad locum ubi ludi fiebant, ludum & choros & cætera omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cum reliquis, ut vescerętur, sedens cum cibos insipidos judicaret, petiit sibi dari sal, quod in mensa deërat, & quamvis iterum atq; iterum petiisset, nunquam illi dabatur. Tandem cum post importunam petitionem, prolixamq; exoptionem sal illi daretur, dixit: *Nunc laudetur Deus, quoniam jam nobis sal datus est.* Quibus verbis prolatis, dæmones quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliquî omnes disparuerunt, luminaribusq; extinctis mansit ille solus nudus, quousq; exoriente sole, vidit quosdam Pastores, quos interrogavit, quænam esset illa regio, in quâ erat illi responderunt, esse agrum Beneventanum in regno Neapolitano: Qui locus distabat à loco habitationis ipsius per centum milliaria, ob quam causam licet dives esset, coâctus fuit per viam mendi-

mendicare ut domum redire posset. Quò ubi pervenit, uxorem suam accusavit & totam rem gestam Judicibus exposuit. Qui rem totam examinantes accedente mulieris confessione pœnis debitis sontem affecerunt. *Si vero causam nosse cupias cur Diabolus mancipia illa sua, in loca remotiora transferat & junctim convenire urgeat:* causæ præcipuæ hæ sunt. 1. ut fœdus cum Diabolo redintegrent. 2. ut à Diabolo denuò nocendi potestatem accipiant. 3. ut malefactorum suorum rationes Dæmoni reddant. 4. ut scelerati parentes Diabolo liberos suos impiè offerant. 5. ut deniq; istis in conventibus testentur quantâ alacritate Diabolo serviant. Quas causas exponunt *Dn. Balduinus B. M.* loc. anteâ cit. item *Admodum Rever. Dn. Doct. Brochmand. System. Theol.* Tom. 2. in Loc. de Leg. cas. consc. 14 p. 190.

## *Qui fit quod Somnambulones præcipitia & loca periculosa sine periculo adeant?*

Antequàm rationes quæsiti proferamus, primò de causis ὑπνοβατικαῖς dispiciendum erit, quarum potissimùm tres sunt. 1. *Peculiaris Spirituum animalium dispositio*, qui ob subtilitatem ad actiones obeundas sunt faciles ac prompti, rerumq; imagines sedulò discernunt, unde imaginationi indulgentes, quævis ita operosè exequuntur, non minùs ac si vigilantibus usu venirent. 2. *Assidua Phantasiæ operatio*, illa enim circa rerum asseveratarum species intensius occupata, facultates corporis inferiores sibi subjunctas validè stimulat, ut organa motui destinata ad id quod imperatur, agendum impellat. 3. *Singularis corporum constitutio*, quæ cum suâ naturâ sint inquieta, ab humore viscido & tenaci oppilata, facilè inter ambulandum non excitantur, unde fit, ut Spiritus igneâ suâ subtilitate acaensi, à membris interioribus per viscidos humores penetrent, atq; sic nervos ac musculos corporis ad motum & ambulationem concitent. Hisce prænotatis jam datæ quæstionis rationes proferimus, desumptas [1.] *à vehementi sensuum circa objectum intendentiâ*, dum enim sensus dormientium minus sunt distracti, unicq; rei vehementer intenti, Objectorum varietate disturbari non possunt, hinc nullo obstaculo interjecto opera sua, non prout usus semper requirit, sed secundùm repræsentata exequuntur. [2.] *à Spi-*

*rituum*

*vituum in membrũ exterioribus consonantia*, Spiritus enim interiores si quando externis communicentur membris, eadem confirmant & juvant, ut hinc homo munus suum eò fortius ac intrepidanter obire queat. [3.] *à metus & discriminis inhorrescentiâ* (ignoscite quæso vos Manes ciceroniani) Ligatis enim aliquo modo sensibus, homo ab omni trepidatione & metu liber, fit ut sanguine turgido ac spumanti, quin insuper æstuoso ac fervido Spiritu præditus, non secus ac furiosus ea moliri aggrediatur, quæ vigilans nullatenùs exequi potuerat. Ex quibus haud difficulter eorum sententia velut vana & insana redarguitur retunditurvè, qui vitium τῆ ἀνοβατίας ex malâ Sacerdotis in Baptismo, ceremonias nonnullas vel verba omittentis administratione provenire dictitant, prætendentes homines istos malè fuisse baptisatos, ut hinc vitio prædicto corripi necesse habeant.

*An & cur Malus in medietate Navis sit extruendus?*

Fit id 1. *ob Navis firmitatem*, quia enim centrum creditur esse immobile, necesse est etiam lineam illam quæ perpendiculariter ex centro ad circumferentiam ducitur esse firmiorem. Sic onera quævis vertice capitis commodius bajulari possunt, quàm humeris, propterea quia linea à centro ad axem ducta est recta, & ob id firmior; si verò sit obliqua à statu firmitudinis movetur & oritur inordinatio. At verò πᾶν ἔσχατον πολέμιον τῇ Φύσι. 2. *ob Motus æqualitatem*, ventus enim carbasa extensa adoriens æqualiter navim in cursu peragundo propellit. Si enim malus extra navis medietatem extrueretur, ad unam magis inclinaret partem quàm ad aliam. At hoc incommoditatem præ se fert. Omne autem incommodum ob rei detrimentum commodâ bonitate est corrigendum 3. *ob cursus velocitatem*. Malus enim directè ex centro navis exsurgens, quò est altior, à ventis adortus in cursu fit expeditior. Virtus enim movens quò à centro est remotior eò est validior. Ex quo principio facilè itidem judicium ferri potest de hac quæstione: *Cur Funis summo mali loco alligatus commodius adverso flumine navim trahat quàm si medio aut infimo?* Antenna enim quia à centro navis longius abest, fit ut motus tractionis fiat expeditior & validior.

# ANTILOGIA I.

## Prædicabilia sunt pars Logicæ: & Prædicabilia non sunt pars Logicæ.

DIst. I. inter *Prædicabilia* quæ sumuntur vel *Laxè* pro qualicunq; prædicatione, sivè fiat affirmativè sivè negativè; sivè verè sivè falsè, sivè ordinatè. &c. vel *Pressè* pro eo quod ad certam classem prædicamentalem spectans, aptum est de pluribus affirmativè & ordinatè enuntiari. Dist. II. inter *Logicam* sumptam partim *Essentialiter* ex sua natura & in ideâ; partim *Accidentaliter* quoad Organon Aristotelicum actuale Prophyrii. *Dist.* III. inter *partem* acceptam vel *generatim* pro omni eo quod quovis modo ad rem aliquam spectat; vel *specialim*, prout est pars vel essentialis vel integralis.

### Concl. 1. *Prædicabilia pressè sumpta sunt pars essentialis & integralis Logicæ essentialiter acceptæ.*

Prob. 1. *ab intellectus rectificatione.* Sunt enim Prædicabilia medium quoddam cujus beneficio intellectus à veritatis normâ aberrans in simplicium circa res creatas apprehensione sub aptitudine prædicationis rectificatur & dirigitur. Quod autem intellectus in talibus defectum admittat patet; quia mens nostra in apprehensione objecti sub debitâ prædicabilitate aberrare potest. Cum enim res apprehendenda sit quid compositum ex objecto & denominatione ab actu intellectus, utiq; Objectum quidem attingi valet sed cum indebita denominatione. At quia talis error à Logica est corrigendus, utiq; per prædicabilium doctrinam id fieri debet. 2. *à*

*fundamenti quoad prædicationem prædicamentalem subministratione.* Etenim cum *Synonyma* & *Paronyma* dupliciter considerari possint vel in *præcisione formali*, vel in *applicatione materiali* ad diversos rerum gradus, utiq; materia in illis datur & extraprædicamentalis & prædicamentalis, ibi rectitudinis desumitur fundamentum ex ordine conceptuum transcendentium & deficientium, hic ex ordine conceptuum prædicamentalium; horum vero fundamentum sunt prædicabilia. Quicquid autem debet dijudicari, ex fundamento debet indagari, quia ineptum est agnoscre prædicationem affirmativè prædicamentalem, & negare fundamentum termini formalis in Logicis expediundi. 3. *ab habitu circa cognoscendi modum occupatione.* Nam modus cognoscendi objectivus qua rectus est objectum Logicæ considerationis essentiale, unde habitus circa ipsum occupatus est Logicæ pars essentialis. Sed prædicabilia sunt modus cognoscendi objectivus. Ergò. Major. prob. quia modus cognoscendi objectivus sicut ut rectificatus est finis Logicæ, ita ut rectus est medium ad finem ducens. Ut rectus enim se habet ad modum ideæ & exemplaris adeoq; normæ rectificationis efficiundæ. Medium autem in habitu practico subjectum est considerationis. Minorem probo, quia sunt notiones secundæ objectivæ: Illa autem quatenus sunt idea & normæ simplicium apprehendendarum, sunt modus cognoscendi objectivus rectus. Idea siquidem legitimi generis est medium quo prima mentis operatio dirigitur in apprehensione alicujus sub ratione generis fundamento in re deprehenso. Videat: pluribus Dn. Weger. hoc argumentum deducens in quæst. super Org. Arist. p. 202.

## Concl. 2. *Prædicabilia sivè laxè sivè præsè sumpta non sunt pars essentialis Logicæ accidentaliter acceptæ.*

Non 1. prout sumuntur *laxè*, quia hoc modo prædicabilia distinctam cognitionem non efficiunt eò quod primam mentis operationem confusè complectantur. Non 2. prout sumuntur *præsè* ex intentione Prophyrii. Hic enim rogatus à Chrysaorio tum temporis auditore suo studiosissimo, ut sibi ut & alijs rationis excultoribus

ribus viam muniret ad nomina secundorum νοημάτων in præceptis Logicis melius & facilius intelligenda εἰσαγωγὴν seu introductionem aliquam vel ad universam Philosophiam juxta nonnullos, vel ad universam Logicã, vel ad Categorias jnxta quosdam elaboravit, atq; sic hæc doctrina saltem per accidens ad Organum Aristotelis fuit transportata. Rei autem quod per accidens competit, ejusdem non est pars essentialis. Doctrinam autem hanc prædicabilium à Porphyrio fuisse scriptam nonnulli partim ex stylı ejusdem cum aliis scriptis conformitate, partim ex allegationis crebritate manifestè colligunt. Quæritur ergò: *An appellatio prædicabilium sit adæquata?* A. Quæcunq; doctrina præbet & docet aptitudinem prædicandi in rebus creatis tum synonymicam tum paronymicam, illa est adæquata. Atqui doctrina prædicabilium præbet & docet aptitudinem prædicandi in rebus creatis investigandam tùm synonymicam tùm Paronymicam. Ergo est adæquata.

## ANTILOGIA II.

### Dantur quinq; Prædicabilia: & non dantur quinq; Prædicabilia.

Dist. I. inter *Prædicabilia*, quæ considerari possunt vel *aptitudinaliter*, quando de pluribus prædicandi datur habilitas; vel *actualiter* quando actum prædicationis constituunt & dicuntur prædicata. Dist. II. inter *Prædicabilia* quando attenduntur 1. *Penes actum essendi*, quomodo ipsarum varietas dependet à rerum essentia. 2. *Penes actum enuntiandi* quando de pluribus prædicari apta nata sunt.

### Concl. 1. *Dantur quinq; Prædicabilia, si considerentur aptitudinaliter penes actum enuntiandi.*

Patet idq; 1. *Propter modum essendi.* Quicquid est in multis, aut est in illis secundum substantiam, & ità vel ratione potentiæ, inde Genus, vel ratione actus ejusq; vel perficientis unde Differentia, vel perfecti unde Species: aut secundum Accidens, vel naturæ communis, quæ primò naturæ deinde suis individuis conveniat,

unde Proprium, vel individuorum quod scilicet primò singularibus & deinde naturæ communi adaptatur, hinc Accidens. *Albert. Magn. 2. propter modum cognoscendi.* Quod est idem cum aliquo, id concipitur vel ut idem essentialiter & quidem ut tota illius essentia & est Species, aut solùm ut pars ejus, idq; per modum tùm materiæ & est Genus tum formæ ut est Differentia; vel accidentaliter aut necessariò, & est Proprium, aut contingenter & est Accidens; *Conimbricens.* in præfat. Porphyr. q. 8. a. 1. Hinc porrò ulterius progrediuntur. Prædicabile dicitur vel in quæstione quid est, vel in quæstione quale est. Si primum aut importat formaliter totam naturam communem individuorum, aut partem. Si dicit totam naturam est Species: Si partem est Genus. Si prædicatur in quale aut dicitur essentialiter & est Differentia, aut dicitur accidentaliter tunc si dicitur necessariò est Proprium, si contingenter est Accidens. 3. *propter modum prædicandi.* Pendet enim numerus prædicabilium etiam à modis prædicandi. Modus autem prædicandi sequitur modum essendi: qui vel synonymicus & essentialis vel paronymicus & accidentalis. Quodlibet enim aut est, aut inest, adeoq; natura pluribus communicabilis convenit iisdem vel quidditativè vel qualitativè. Modus essentialis vel est partialis & incompletus denotans partem quidditatis aut materialem ac communem unde Genus; aut formalem & propriam, unde Differentia: vel totalis & completus innuens totam quidditatem unde Species. Modus autem accidentalis est vel reciprocus innuens id quod ex partibus essentialibus aut ex ipsa quidditate promanat, unde Proprium, vel non reciprocus, exprimens id, quod communem habet causam sivè internam sivè externam unde Accidens Jac. Mart. l. 1. Inst. Log. c. 1. Plura argumenta videsis apud Dn. Eisl. Palæstr. Log. confl. 8. p. 289. 290 & seq.

## Concl. 2. *Non dantur quinq; prædicabilia si considerentur actualiter & penes actum essendi.*

Non [1.] *Actualiter*, quia hoc modo constituunt quatuor prædicata Topica, ut sunt Accidens, Genus, Definitio, Proprium quibus

bus quæsitum affirmatione vel negatione probabiliter venit probandum; Quærunt enim prædicata illa Topica vel *indeterminatè* de generali & communi inessendi modo, & oritur quæstio *Accidentis*: vel de speciali inessendi modo qui est triplex. Aut enim quæritur num prædicatum sit de essentiâ subjecti, ita ut sit vel Genus vel Definitio: unde oriuntur duo quæsita scilicet *Generis* & *Definitionis*: Aut deniq; quæritur: An prædicatum ad modum proprii accidentis, unde originem trahit problema *Proprii*. vid. Scharf. Instit. Log. l. 4. c. 1. p. 629. Non autem plura esse prædicata Topica ita probari potest: Quicquid est vel reciprocatur cum suo subjecto ut Definitio & Proprium, vel non reciprocatur ut Genus & Accidens. Differentia inter Prædicata Topica & prædicabilia hæc datur. Differunt namq; 1. *ratione latitudinis & objecti*. Sunt enim prædicata latiora prædicabilibus. Hæc semper sunt incomplexa, illa nonnunquam complexa. 2. *ratione subjecti*. Prædicabilia respiciunt subjectum tam Universale quàm singulare. Prædicata tantum Subjectum commune. 3. *ratione modi procedendi*. Prædicabilia ex modis prædicandi sumuntur affirmativis. Prædicata ex modis probandi. Non [2.] *penes actum essendi*: Aliàs tot forent prædicabilia. At hoc absonum, quia ratio abstracta communis non patitur includi intra carceres prædicamentales.

## ANTILOGIA III.

### Individuum prædicari potest: Et Individuum prædicarri non potest.

Dist. I. inter *Individua* quatenus considerantur aut *penes actum signatum* quo ratio eorum ab omnibus singularibus abstrahitur, essentiam eorundem præcisivè exhibendo; aut penes *actum exercitum* quatenus singularia distributive in inferioribus multiplicantur, notionem tamen communem sustinendo. Dist. II. inter *Individuum* prout accipitur 1. *realiter* pro natura pluribus inferioribus incommunicabili 2. *Intentionaliter* pro notione logica in ista re fundata. Dist. III. inter *Prædicationem nominalem* quæ fit tantùm quoad nomen, & inter *prædicationem realem* quæ fit per rem certo nomine significatam.

## Concl. 1. *Individuum si consideretur intentionaliter penes actum signatum prædicari potest prædicatione nominali.*

Prob. Quicquid in inferioribus secundum nomen multiplicatur, illud de iisdem quoad idem nomen etiam prædicatur. At Individua in inferioribus quoad nomen multiplicantur. Ergo de iisdem etiam nominaliter prædicantur. Minor probatur, quia in Enuntiatione Individuum prædicari potest partim *negativè* ut: Alexander Imperator non est Alexander Papa. partim *affirmativè* Sicq; 1. in *propositione identicâ* sive *vocũ ignotioris notiori expressione*, ut Tullius est Cicero, sivè *plurium vocũ circumlocutione* ut omnium philosophantium princeps est Aristoteles. 2. *In propositione homonymica*, ut Johannes est Baptista vel Evangelista 3. in *propositione inordinata*, ut Equus est Bucephalus. 4. in *propositione figurata* ut os mellea elocutionis suavitate oblitum est Cicero. Item Johannes est Elias. Hic non inconvenienter quæritur 1. *An Individuorum detur scientia?* A. si spectentur *formaliter* & in actu signato utiq; sic realiter pertinebunt ad Metaphysicã quâ juxta communem sententiam Ens realiter dispescitur in singulare & Universale, Notionaliter autẽ pertinebunt ad Logicam. Sin vero Individua spectentur *materialiter* & in actu exercito, utiq; sic in Disciplinis considerari non possunt, non enim cadunt sub scientiam quia sunt caduca & mutabilia. At scientia est immutabilium constantium ac rerum uno & eodem modo se habentium, ut dicit Dietericus in inst. Dial. m. p. 9. II. *Ubinam de Individuo in Logicâ tractandum?* Respon. Individuum spectari potest vel ut *Synonymum & paronymum subjicibile* & hoc modo est ante prædicabilia tradendum, ratio est quia habet respectum ad genus, speciem & differentiam essentialem, ad proprium & accidens accidentalem: vel (2) ut *Prædicabilium fundamentum* & Basis, de qua prædicantur naturæ communes intentionem prædicabilis alicujus sustinens. Sic tractatio ejus instituenda est vel ante omnia prædicabilia vel post definitionem & generalem divisionem prædicabilium, vel (3) *Prout Prædicabilibus opponitur* quatenus ei repugnat de pluribus univoce dici, sic tractandum venit post Prædicabilia.

Concl. 2.

Concl. 2. *Individuum si consideretur realiter & penes actum exercitum non prædicatur prædicatione reali.*

Prob. 1. *à divisivæ multiplicationis repugnantiâ*, Hoc enim modo ratio prædicabilis ei nullo modo competit & adaptari potest, requiritur enim ad illam ut natura communis de singulis suis inferioribus separatim & non copulatim univocè dicatur. Hinc excluditur etiam Essentia divina quæ licet de tribus Personis univocè & essentialiter dicatur, tamen non est prædicabile quoddam, quia in tribus Personis est eadem numero. 2. *à requisitivâ prædicationis doctrinalis exigentia.* Nam in omni prædicatione reali seu doctrinali requiritur ut attributum sit aliquo modo diversum à subjecto. At hoc nunquam occurrit in prædicatione Individuorum nominali. 3. *ab oppositionis de prædicabilibus evidentiâ.* Individuum enim non est prædicabile de pluribus sed duntaxat subjectum eorum quæ logicè prædicari possunt. Hinc est quod Ar. l. 1. pr. anal c. 27. §. 2. subtiliter dicat ἀπάντων τῶν ὄντων τὰ μὲν ἔστι τοιαῦτα, ὥς τι κατὰ μηδενὸς, ἄλλα κατηγορεῖσθ ἀληθῶς καθόλα. ἔνια τῶν ὄντων, καθ' ἑαυτὰ πέφυκε λέγεσθ δῆλον. H. e. eorum omnium quæ sunt, quædam sunt ejusmodi, ut de nullo alio verè universaliter prædicentur; quædam autem res naturâ sunt tales ut de nullo dicantur. Et patet: quicquid pluribus *intrinsecè* & quidditativè communicari nequit illud Prædicabile non ingreditur. Atqui Individuum pluribus intrinsecè communicari nequit. Ergo. Dico autem *intrinsecè* quia *extrinsecè* Individua communicari non repugnat. Fieri enim potest (1) *effectivè* cum aliquid alteri cummunicat per modum efficientis & per ἀλλοποίησιν. Sic David Salomoni vitam communicat. (2) *Unitivè* quatenus alteri connitum se suasq; proprietates cum ipso communicat.

## ANTILOGIA IV.

### Genus in unâ Specie salvari potest: Et Genus in una Specie salvari non potest.

Dist. 1. inter *Genus* consideratum vel *fundamentaliter* & realiter quoad essentiam, quam acceptam refert Inferioribus; vel *formaliter*

*liter* & secundo intentionaliter quoad potentiam quam diffusam habet in inferioribus. Dist. II inter *Species* quarum aliæ sunt *impossibiles* per naturam, aliæ *possibiles* per potentiam divinam.

## Concl 1. *Genus spectatum fundamentaliter salvari potest in unâ Specie possibili.*

Prob. idq; 1. *ob Generis indeterminationem.* Genus enim quâ tale est indeterminatum ad speciem, indeq; cum omni specie integritatem suæ essentiæ æqualiter communicat & largitur, eo quod ad nullam speciem sub præviis differentiæ dispositionibus dilabatur solitariè, sed communem naturam à speciebus saltem possibilibus abscindat, in quibus si non per non-repugnantiam progredi licuerit, Genus fundamentale constituit. Posito enim casu quod solus homo supereset, adhuc essentia animalis (quæ est esse vivum & sentiens) permaneret, ita ut tum rectè de homine dici queat quod sit animal. Dici autem requirit inesse. 2. *Ob Universalitatis rationem.* Genus enim est universale. Universale autem Logicum est quod non repugnat dici posse de multis, licet actu de pluribus non dicatur. Etenim aptitudo naturæ communis non est *positiva* sed *negativa* sub potentia non-repugnandi ad essendum in multis, & dicendum de multis, in quâ fundatur aptitudo positiva. Hinc fit licet actu aliquod universale sit in singulari, tamen universale censeri potest dicente Dn. Scheiblero Axiom. Phil. exerc. 17. c. 7. si aptitudinem habeat ut in pluribus sit vel simul ut homo; vel successivè ut Monarcha. Est igitur Genus in specie non quidem *totaliter extensivè* & entitativè, sed *essentialiter & intensivè.* 3. *ob essentiæ communicationem.* Potest enim uti dictum essentia generica abstrahi ab uno individuo reliquis speciebus per potentiam divinam possibilibus. Uti enim species monadicæ sunt unum quid ut in reliquis per non-repugnantiam existere queant, eâdem ratione comparatum est cum genere respectu specierum.

## Concl. 2. *Genus spectatum formaliter non potest salvari in una specie solitariè sumptâ.*

Patet, quia amp[illegible]o & latitudo generis ad minimum requirit duas differentias quibus explicetur. At impossibile est duas diffe-

differentias specificas in uno simul subjecto conservari posse, cum differentiæ oppositæ in eandem speciem cadere non possint, quia in uno Subjecto actu plura dari opposita planè repugnat. Præterea potest id ipsum probari ex definitione Aristotelicâ, quâ definitur: Γένος λέγεται τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφορόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορέμενον. In quâ definitione duo occurrunt, quorum I. *Quid sit prædicari in quid?* Prædicari in quid nihil aliud est, quàm quidditativè & essentialiter enuntiari per nomen substantivum, quod solum aptum est naturam & essentiam rei perfectè declarare. II. *Quid sit differre specie?* Differe specie est duo vel pluta sub eodem genere posita diversas habere definitiones & essentias. Quia autem in unâ specie plures essentiæ latitare nequeant actu, sequitur Genus in unâ specie solitariè conservari non posse. Conf. *Hispan.* Log. tr. 2. f. 746. *Scheibl.* axiom. phil. exerc. 17. axiom 7. *Isendorn.* Cent. 2. effat. philos. 4. p. 16. 17. &c.

## ANTILOGIA V.

### Genus de Individuis prædicari potest: Et Genus de Individuis prædicari non potest.

Dist. I. inter *Prædicationem* quæ est vel *immediata*, quæ de pluribus nullâ aliâ mediante est enuntiabilis; vel *mediata*, quæ alia mediante fit prædicabilis. Dist. II: inter *Individuum completum & incompletum. Illud* est in quo tota ratio specifica explicitè cognoscitur. *Hoc* est quod explicitè non cognoscitur secundùm totam essentiam specificam.

### Concl. I. *Genus de Individuis incompletis prædicari potest immediatè.*

Duo heîc probanda sunt, quorũ I. *An Genus prædicetur de Individuũ ut Genus?* A. Quicquid prædicatur, prædicatur vel in quale, vel in quid. At Genus de Individuis non prædicatur in quale, non enim de iis enuntiatur accidentaliter & παρωνύμως. Ergo prædicatur in quid seu essentialiter. Si hoc prædicabitur ut vel Genus vel ut Species. Non ut Species, quia genus collatũ ad individua non constat ex

genere & differentiâ ſpecificâ. Nihil autē reſpectu alicujus poteſt dici ſpecies niſi conſtet ex genere & differentiâ ſpecificâ. Ergo prædicabitur ut Genus. Ratio eſt, quia genus quando prædicatur de ſpeciebus eſt Genus, ergo erit & Genus quando de Individuis prædicatur, modus enim prædicandi utrobiq; eſt idem. Sicut enim genus de ſpecie dicitur in quid incompletè, ità quoq; de Individuis. II. *An Genus prædicetur de Individuis incompletis immediatè?* A. Evincit enim hoc ipſum 1. *Immediata abſtractio.* Ab eo enim ratio generica immediatè participatur, à quo immediatè abſtrahitur. Sed ab individuis incompletis, nullâ habitâ ratione ſpeciei, ratio generica immediatè abſtrahitur. Ergo Major patet: Ubi datur Generis participatio ibi datur communis conceptus abſtractio. Jam verò â quo aliquid immediatè abſtrahitur, de eodem etiam immediatè prædicatur. Min. prob. quia in productione individuorum animalis ſecundum differentiam ſpecificam incognitorum ratio communis animalis ab iiſdem immediatè per cognitionem poteſt abſtrahi. 2. *Æqualis conceptus attractio.* Poteſt enim pari modo ab Individuis imcompletis ac â Specie ratio communis generica fiſti. At ubi in Individuo deficit ratio ſpecifica, individuum eſt incompletum. De hoc autem quia prædicatio inſtitui poteſt, erit illa immediata ob modum eſſendi incompletum. Qualis autem eſt modus eſſendi talis eſt & modus prædicandi. 3. *Prædicationis ſine ſpecie peractio.* Etenim Genus quidem â ſpecie prius participatur quam ab Individuo, ſed tùm demùm quando inter genus & individuum ſpecies mediat, at verò quando Genus dicitur de individuo incompleto, nulla ſpecies mediat, igitur immediata erit prædicatio. Hanc ſententiam tuentur *Hurtad* d. 4. Log. ſ. 5. & d. 5. ſ. 1. *Thomas* opuſc. 55. it. part. 3. q. 78. ar. 5. *Sanchius* q. 54. *Dutrieu* tract. 1. Log. p. 2. c. 2. q. 4 *Ruvius* cap. de gen. q. 5. *Smiglec*, quamvis hi duo à reliquis in eo diſcrepent, ſtatuentes individua quidem immediatè prædicari ſed prout induunt naturam ſpeciei. At errant propterea, quia quod non habet naturam ſpeciei, per modum ſpeciei prædicari non poteſt.

## Concl. 2. *Genus de individuis completis immediatè prædicari non poteſt.*

Patet

Patet quia 1. Individuum completum involvit differentiam specificam. Differentia autem specifica primò attribuitur speciei, δευτέρως autem Individuis, igitur de hisce conceptus generis prædicabitur non immediatè sed mediatè interveniente specie. quia 2. ratio abstractiva completè spectata primò præscinditur ab Individuis, unde oritur Species. Abstractione autem specierum oritur demum Genus. At verò quia abstractio individuorum completorum relata ad genus est mediata, igitur & prædicatio mediata erit. Qualiter enim se habet abstractio, taliter se etiam habet prædicatio. quia 3. Definitio generis primariò respectum habet ad speciem. Definitur enim quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quid.

## EPISAGMATA.

*An Draco Volans (Germanù der Alpff) sit ipse Cacodæmon?*

Promiscua inferioris subsellij turba, si quandocunq; Draconem volantem conspicatur, ictu admirationis percussa nil aliud quam ipsum Cacodæmonem conspexisse se opinatur. Nos physicas rationes ac causas pauxillisper indagaturi, dicimus Draconem Volantem esse meteoron ignitum, ex fumo pingui & sulphureo secundum dissimiles partes accensum Draconis Volantis speciem repræsentans. Tria igitur heîc observanda sunt 1. *Figuræ qualificatio*, repræsentans speciem Draconis propter partium difformitatem, quæ in anteriori & posteriori parte sunt subtiliores, in medietate diductiores crassiores & ponderosiores; partes autem subtiliores quia magis inflectuntur oritur talis figura. 2. *Colorù repræsentatio*, est enim nonnunquam albicans, nonnunquam rutilans, ibi ob majorem materiæ raritatem, heîc ob majorem ejusdem densitatem, non secus ac flammam ex lignis aridis albicare, ex lignis humidis elatam rutilare contuimur. 3. *Motus concitatio* circa quam observetur (a) *Motus existentia*, sita partim *in causis internis* ut sunt aêris commotio, ventorum agitatio. (b.) *Motus contingentia*. Non rarò enim fieri solet, ut advolare & incumbere videatur vel (1.) *ædificiorum culminibus & fastigiis*, ut vel in ipsas ædes sese immittere conspiciatur idq; propter *tum partium incrassationem*, quæ cum in medietate crassiores existant deorsùm ten-

dentes simul cum subtilioribus ad locum illi citimum insidendo idoneum, divertuntur; *tùm ventorum agitationem*, qui hunc halitum ad ædium culmina propellunt: vel [2] *ædium fenestris ac fumariis*, quia enim è fenestris & Caminis calidiores halitus in altum evehuntur, fit ut propter similitudinem unum alteri adpropinquet, quia omne simile attrahit suum simile. Causis ergò naturalibus investigatis non tamen exinde diffitemur Dæmonem huic meteoro ne quidem unquam adesse, sed potius confitemur eundem haud rarenter illi subesse, idq; [1.] *ob magnam sui in aëre exercentem potentiam*, quia utplurimum in hoc elementum dominatur, ita ut hinc Eph. 2. v. 2. c. 6. v. 12. non immeritò vocitetur ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος. [2.] *ob nimiam hujus meteori complacentiam*, mirificè enim figura Serpentis ac Draconis delectatur, id quod colligere licet ex Lapsu Primorum P[illegible]ntum, iccircò Apoc. 12. & 13 appellatur Serpens & Draco. [3.] *ob contestandam affectus sui erga Lamias benevolentiam*. Creditur enim Diabolus à suis adjuratis sub formâ Draconis sese repræsentans ditandi causâ advolare, quibus, si divitias apportet, sunt illæ *utplurimum falsæ*, quibus ministros suos inani Specie illudit, carbones pro auro, lutum pro gemmis advehens, &c. id quod multis exemplis probat *Georg. Remig.* l. 1. Dæmonol. c. 4. *nonnunquam veræ*, suntq; vel *frumentorum*, conqueruntur enim Agricolæ, quod Draconem instar Porci frumenta devorantem animadvertant, undè tempore messis cruce ex duabus aristis factâ acervum frumenti signant, quæ quamdiu in angulum hordei posita manserit illæsa, tamdiu Diabolum frumenta suffurari non posse certò existimant; vel *Ciborum* ut sunt lac, butyrum, casei &c. quia hoc modo suos infarcit & saginat ut demum gladio infernali mactentur. conf. Jerem c 12. v. 3. vel *vestimentorum*, Sic Anno 1603. zur Ohr non procul à Gedano Borussorum lodices quæ dealbandi gratiâ Soli erant expositæ, post meridiem à Draconе sunt sublatæ, ut refert *Keckerm.* Syst. phys. l 6. c. 4. rarissimè *divitias metallorum* videl. auri & argenti &c. quæ si affert, vel è terrâ, in quâ maximè opes & thesauri defossi sunt, extrahit, vel è profundo mari, in quod procul dubio immensa auri argentiq; vis naufragiis submersa est, eruit, vel justo Dei judicio ex thesaurorum suppilatione sustulit.

stulit. Pro quo beneficio, quia Spiritus est avariſſimus, certo quodã cultu venerari vult, ſi enim alicubi vel *ceremoniarum præſertim lactis litatione* (quod moderatè calidum juxta eum locum quo introgredi placuerit deponendum est) vel *verborum pronuntiatione* quendam defectum deprehenderit, non tantum ægrè fert ſed graviſſimè in delinquentes ſuos animadvertit, aut verberibus eos excipiendo, aut vario inſectorum genere conſpergendo, aut rerum ſuarum ſubſtantiis damnum inferendo, aut naturæ iſto opere, halitu nimirum ardente, ædes Conjuratorum incendendo. Exemplum poſterioris citat Kecker. l. cit. quod in Pruſſiâ non procul à Regiſmonte accidit; ubi ancilla juſſa lac calefactum in ſuperiorem ædium partem deferre & Draconi offerre, quæ terribilem ejus ſpeciem contuendo, conſternata lac in Draconem effudit, quo factô ſtatim ædes conflagrarunt.

*Num ex Lunæ cornibus & coloribus: Item ex 12. diebus Criticis natalitiis Chriſti proximè tempeſtatum prognoſtica rectè petantur?*

Duo hîc involvuntur probanda, quorum *alterum concernit Lunæ cornua & colores, alterum reſpicit duodecim dies criticos* (Germanis die Zwelfften) quorum judicium ita vulgò inſtituitur, ut prima feria Januarium, ſecunda Februarium, Tertia Martium, & ſic conſequenter reliquas Menſes in tempeſtatibus prænuntient. *De Priori* res est certa, & quidem (1) *Cornua ſi fuerint acuminata* ſerenioris diei ſpondent initium, ſin extiterint obtuſa, diem pluvium ac turbulentum comminantur. Præſagitio hujus rei rationibus naturalibus ſuffulcitur: Etenim cornua acuta aëris depuramentum præſentant, ut vel hinc vera Lunæ facies citra hallucinationem ab oculis deprehendatur. *Cornua autem obtuſa* aëris impuratioris conſtitutionem deſignant, quâ nimia effluviorum copia aëris ſubvecta rerum ſimulachra & phaſmatum extremitates in ſupernâ cæli parte indiſtinctè percipiuntur. (Nam cornua Lunæ falcata æqualis ætatis ſingulo menſium intervallo in ſe ratione naturæ uniformiter acuta manent, nunquam obtuſa) ex quibus meteora demum oriri nullum est dubium. Sicuti autem ex cornibus Lunæ acuminatis & obtuſis præſagium tempeſtatis colligi potest, ita minimè

ex cornibus Lunæ distortis, aëris tempestatem præsagire licet, eò quod Luna in nonagesimo constituta gradu cornua ad latera partis superioris & inferioris non deflectat, antequam verò ad 90. gr. perveniat, suâ naturâ quando accrementa patitur versus inferiora, cum decrementa versus superiora semper inflectit cornua ut habet Dn. Crug. Calend. Progn. Anno 16. q. 3. Alij *Signa Lunæ crescentis & decrescentis* praxi rusticâ & vulgari ità investigant 1. Si Luna vesperi statim adpareat vel ante occasum Solis crescit, si postmodùm oriatur decrescit 2. quamdiu latus Lunæ perfectè illuminatum respicit occasum, tamdiu crescit, cùm verò orientem decrescit. (2.) *Colores* Lunæ itidem tempestates denuntiare usu satis est compertum, unde Virgil. l. 1. Georg. non procul à fine.

*Luna revertentes cum primum colligit ignes:*
*Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,*
*Maximus agricolis pelagoq; parabitur imber.*
*At si virgineum suffuderit ore ruborem:*
*Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe.*
*Sin ortu in quarto (namq; is certissimus author)*
*Pura, nec obtusis per cælum cornibus ibit;*
*Totus & ille dies & qui nascentur ab illo,*
*Exactum ad mensem pluviâ ventisq; carebunt,*
*Votaq; servati solvent in littore Nautæ.*

Brevius ita

*Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.*

Luna enim quia semper sibi similis est, *album* ut in se est colorem præsentare debebat, hinc si taliter appareat certissimum est πυκνότερον maximam tum exhalationum copiam in aëre non esse diffusam, atq; ob id aëris serenitatem fore. *Pallor* verò & *Rubedo* Lunæ sunt præternaturales, *ille* provenit à nubibus roridis cum aëre imaginem ☽ obscurantibus, *hæc* exurgit ex halitibus terrestribus ardore solis exustis ac ventos concitantibus. *De Posteriori* res est suspecta: Nam Hectabinium illud cum mensibus præfigurandis agnoscet *analogiam* aut *physicam* aut *astronomicam* aut *arithmeticam*. Non *Physicam*, illa enim observationibus sæpenumerò obtigit

tigit contraria. Analogia autem physica exactam requirit convenientiam. Non *Astronomicam*, quia hæc cum principiis Δοδεκαημοιρίων ac originationibus mensium nullatenus datur. Licet ergo habeat analogiam arithmeticam, illa tamen ad præsagia tempestatum non conducit, eò quod mera hic quantitatum detur convenientia quæ causalitatem non progignit cum quantitatum nulla sit efficacia.

### *Cur Tempore hyberno paulo ante Solis ortum & cum eo frigus intenditur?*

Provenit id ex maxima actionum corporearum luctâ. Dum enim Sol radiis suis frigiditatem aëris dispellere satagit, frigus è contrario itinere iisdem summo virium conatu renititur, at quia Sol idem magis magisq; propulsat, frigus atomorũ suarum agmen dispersum in unum colligit, ut ita per vim unitam frigoris existat acredo. Quæ ratio itidem convenienter accommodari valet huic quæsito: *Cur* nimirum *Cellæ in hyeme tepidiores in æstate autem sint frigidiores?* Residuus enim in Bruma calor, in æstate frigus quoniam contrarij obsidione forinsecus undiq; cingitur ejusq; prædominio superatur, ut saluti suæ consulat, in specubus & locis subterraneis asylum & πρηστφύγιον quærere necesse habet ut ait *Dn. M. Daniel Lagus* in dodec. quæst. astrosoph. §. fit tamen hoc ipsum non ob intus compressum auctumq; calorem sed ob conclusos halitus calidos, frigus sibi adversum abhorrentes ceu docet Excell. Dn. Joh. Sperling in instit. phys. l. 4. p. 760.

### *An Cæruleus Cæli color sereno tempore ipsam Cæli monstret Substantiam?*

Nequaquam. Esset enim cæruleus Cæli color aut *realis* seu verus, aut *intentionalis* & apparens. Non *realis* & verus, quia ætherea regio est translucida perspicua & subtilis. Summe autem perspicuum, id non terminat visum sed transmittit adeoq; est transparens. Transparens autem quod est invisibile est, quia omne visibile est coloratum, patet id experimento in conclavi undiq; clauso, si per rimam radium Solis immittas; hic enim totum quidem Conclave transibit, non tamen apparebit nisi aut in opposito pariete vel pavimento: aut si manum aliudvè densum interponas: aut si

pulvere

pulvere excitato atomi ejus quantitatis ut lucem reflectere possint volitent, quod experimentum suppeditat *Joh. Amos Comenius* Syn. Phys. c. 4. p. 61. Ergò *erit intentionalis & apparens*, qui non oritur ex eo quod actu perspicuum tenebris excipiatur, tenebræ enim luminis duntaxat absentiam indicant, sed ex vaporibus cum lumine mistis, ubi lumen Solis & Stellarum primò in supremum aêrem incidit, parvam umbram causando, à qua aêr inferior magis magisq; obtenebratur, ut ex tali permistione color oriatur cæruleus, id quod satis indicat Aqua, quæ si clara sit & ad ulnam profunda penitus conspicitur, sint profundior difficilius, sin ulterius protendatur nil penitus de fundo apparet, eò quod umbra aquæ à superficie orta primum sit debilior, quæ ulterius ex multiplicatione umbræ fundum oculis nostris demit. Confer. *Dn. Sperling.* Phys. *Dn. Lineman* Calend. Progn. Anno 41. Ex eodem fundamento decidi potest quæstio: *Cur Sylvæ & montes ex longius dissito loco conspecti cæruleum ostentent colorem*? Lumen enim cum Sylvis & montibus communicatum per aêrem spargit umbram, quæ si ulterius extendatur lumen redditur obtenebricatius quod ex tali commistione cæruleum apparet.

### *Cur pluviis cadentibus januæ ligneæ ægrè clauduntur & aperiuntur*?

Id inde provenit, quando enim Pluvia decidit, tum aêr atomis aqueis utplurimum est refertus, qui minima illa in quasvis res eorundem capaces transfundit, nullum ergo est dubium quin sic quoq; januas ligneas intraverint, unde oritur de repente lignorum accretio, ut ita instar Spongiæ aquam imbibentis turgeant. Turgescentibus autem lignis terminum aliàs sibi proprium expetunt latiorem, qui illis si denegetur, januæ ligneæ ægrè clauduntur & aperiuntur.

### *Quomodo animal cesset à Somno*?

Tres experrectionis spontaneæ dantur causæ 1. *concoctionis perfectio*. denegato enim Somniorum alimento ipse denegatur somnus. 2. *caloris nativi constitutio*, nam quando Spiritus alimenti copiâ, quo foventur, abscinditur, dissolvuntur illi, ad externa ὄργανα sese rursus diffundendo. 3. *meatuum recluſio*, meatibus enim reclusis Spiritus animales per eosdem ad prima sensoria redeunt, ut ita experrectio fiat è somno.

# ANTILOGIA I.

## Species subjicibilis est universale in prædicando: Et Species subijcibilis non est universale in prædicando.

Disp. VII. *Respond.* Martino Weiß Riesenburg. Prusso.

Disting. I. inter *Speciem subijcibilem* considerata vel *abstractivè* pro notione speciei subjicibilis præcisiva sine digressu ad eandem in exercitio; vel *concretivè* sub ratione distributiva pro hac vel illa natura in specie ab actu potentiali subjiciendi intellectus denominata, quomodo refertur ad genus cui in linea prædicamentali supponitur. Dist. II. inter *speciem subjicibilem* quæ διχῶς dici potest universale, 1. *in sensu materiali* pro natura in se universali citra subjicibilitatem. 2. *in sensu formali* prout dicitur universale qua fit subjicibilis per subjicibilitatem.

### Concl. 1. *Species subjicibilis sive abstractivè sive concretivè accepta in sensu materiali est universale in prædicando.*

*Prius patet*, ubi dari potest ratio abstractiva ab inferioribus sibi subjectis ac hisdem universaliter attribuibilis ibi datur universale in prædicando: Atqui à specie subjicibili signatè spectata dari potest ratio abstractiva ab inferioribus sibi subjectis hisdem universaliter attribuibilis. Ergo est universale in prædicando. *Posterius patet* quia 1. quicquid constat ex genere & differentia specifica præcisa singulari, est universale, Partes enim ubi sunt universales, totum ipsum universale sit necesse est: Jam verò species subjicibilis constat ex genere & differentia specifica. Ergo. quia 2. natura universalis materialiter accepta in collatione ad superiora potest susci pere

denominationem ſubjicibilis. At quicquid habet rationem ſubjicibilis materialiter enunciabilem illud univerſale in prædicando fieri poteſt. Quia 3. quicquid reſpicit plura ut plura de ijſdem aptum natum prædicari illud univerſale exiſtere poteſt in prædicando. Atqui ſpecies ſubjicibilis concretivè in ſenſu materiali accepta reſpicit plura ut plura de ijsdem prædicari apta nata. Ergo ſpecies ſubjicibilis concretivè in ſenſu materiali accepta eſt univerſale inprædicando.

## Concl. 2. *Species ſubjicibilis concretivè in ſenſu formali accepta non eſt Univerſale in prædicando.*

Probo idq; 1 *ob ſpeciei ſubijcibilis formalitatem.* Quicquid tantum aptum natum eſt ſubjici illud formaliter nequit prædicari, ratio eſt quia ſubjicibile in eo diſcernitur, quod hoc de pluribus prædicari queat, illud pluribus ſubjici. At quæ differunt formaliter, eadem non ſunt: Oppoſita enim non poſſunt eidem eadem formalitate convenire. 2. *Ob denegatam ſubjicibilis univerſalitatem.* Omne univerſale dicitur tale reſpectu inferiorum. Ab his enim abſtractionis fit peractio. Jam verò ſpecies ſubjicibilis non dicitur talis formaliter reſpectu inferiorum ſed tantum reſpectu ſuperiorum. Ergo reſpectu horum nequit dici univerſale in prædicando. 3. *Ob modi prædicationis inhabilitatem.* Etenim ſpecies ſubjicibilis aptitudinem prædicandi de pluribus non habet. Quod autem aptitudinem prædicandi de pluribus non habet, illud univerſale in prædicando formaliter non eſt. Sit exemplum. Animal quando prædicatur de homine & Bruto eſt univerſale, quia illud formaliter reſpicit ſua inferiora: non verò ſi conſideretur per ordinem ad aliquod ſuperius videlicet ad corpus vivum, de quo prædicatur non ut pluribus, ſed potius prout uni ſubjicitur. Confer Clariſ. Dn. Weg. q. 14. in Org. Ariſt. p. 247. & ſeq.

## ANTILOGIA II.

## DEUS notioni prædicabilis alicujus ſubſtare

ſtare poteſt: Et Deus notioni prædicabilis alicujus ſubſtare non poteſt.

Diſt I inter *notionem prædicabilis* vel *extra-prædicamentalem* qua prædicabile latè acceptum ſolum modo nexum prædicationis ſynonymicum & paronymicum inveſtigat in rebus tum deficientibus tùm excedentibus ſive ſint conceptuũ eminentium in divinis, ſivè ſint transcendentium in rebus Metaphyſicis extra categorias; vel *prædicamentalem* quâ prædicabile ſtrictè acceptum in rebus & conceptibus ad certam categoriam ſpectantibus aptum natum eſt de pluribus dici. Diſt. II. inter τὸ *ſubſtare* quod accipitur vel *comprehenſivè* qnod ſub finitudine rerum actualiter continetur; vel *poteſtativè*, quod prædicationis rationem induere non repugnat. Illud indagatur in vi prædicamentali, hoc in virtute prædicandi eminenti. Conſentit *Dn Gravverus* in abſurd. abſ. abſ. tit. de enuntiat. Dn. *Dutkius*. Dn. *Eiſlerus* & alij.

## Concl. I. *DEUS notioni prædicabilis extra prædicamentalis poteſtativè ſubſtare poteſt.*

Patet quia DEUS prædicationes tum ſynonymicas tum paronymicas admittit, penes applicationem materialem. Deprehendens enim Logicus conceptus quoſdam circa fidem operabiles, qui ſe aut eſſentialiter aut non-eſſentialiter reſpiciant tenetur Logia hoſce ſynonymi & paronymi notionali diſcernere nexu, cum præterillam neq; Scriptura neq; ulla doceat atq; tradat Diſciplina. *Duæ* igitur *quæſtiones* heîc ob commodiorem concluſionis explicationem erunt obſervandæ, ubi quæritur. I. An Deus Patrẽ, Filiũ & Spiritũ Sanctũ συνωνύμως & eſſentialiter reſpiciat? Aff. prob 1. *â prædicationis ſynonymicæ definitione*, quicquid prædicatur de pluribus in quid, illud dicitur ſynonymice, jam verò ly Deus prædicatur de tribus Perſonis in quid. Ergo Synonymicè. Major probatur. Cujus prædicationis prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, ibi locum habet eſſentialis terminorum habitudo, ſiquidem hujus fundamentum eſt eſſentiæ identitas. Minor patet, quia Eſſentia Divina pluribus Perſo-

nis realiter est communis, non quidem in inferioribus per multiplicationem, sic enim finitanter existeret ac πολυθέιαν resiperet, sed perrealem communicationem, eò quod in se maximè sit singularis. 2. *à sufficienti prædicationis enumeratione*, Quicquid prædicatur, prædicatur aut in quid seu synonymicè, aut in quale seu paronymicè, tertium non datur. Quicquid enim est, aut est de essentia rei intrinsecè eidē conveniens, aut extra essentiā, eandē extrinsicè afficiens. Unde duo nobis exhibentur generales modi essendi; Quot autē sunt modi generales essendi, tot sunt etiam modi prædicandi; quia Dici requirit inesse. Et modus prædicandi sequitur modum essendi. Igitur cū prædicatio illa non sit qualitativa seu paronymica, sequitur eandem esse synonymicam ob essentiæ identitatem. Nec est ut quispiam dicat prædicationes mysticas de utroq; modo prædicandi nil participare sed *inusitatas prædicationes* constituere. Breviter eidem respondsum damus distinguendo inter *prædicationis τὸ materiale & formale*. Illud inusitatum concernit utpotè cū res duntaxat in propositionibus contentas exhibeat, non tamen exin applicationem ad notiones Logicas tollat. *Est enim inusitata quæ fundamentū, non quæ prædicandi modū.* Rerū igitur mysticarū conditio de materiali prædicationes inusitatas, de formali aut synonymicas aut paronymicas involvit, cum utrobiq; nil repugnans sano rationis dictamini reperiatur. II. An Homo in articulo de persona Christi ad DEUM se περωνύμως habeat? Aff. Monstrat enim hoc ipsum [1] *Terminorum diversitas*. Siquidem Homo & Deus sese essentialiter non contuentur, propterea, quod homo animal rationale quidditativè subinferat Deus vero Spiritum independentem & infinitum essentialiter respiciat. Jam verò si uterq; terminus esset synonymicus per χέσιν dicerem Deum esse animal rationale, Hominem esse Spiritum independentem, id quod ἀδύνατον καὶ ἀφιλόσοφον, cum synonyma dicantur non quorum nomen duntaxat sit commune sed & essentiæ ratio eadem. [2] *Naturarum disparitas*. Licet enim duæ illæ naturæ personaliter sint unitæ, tamen una alteram quidditativè non concernit, eo quod non per se sed propter ὑποστάσεως identitatem ac mutuam immeatio-

meationem personalem consentiant. Assumpsit ergo Christus humanam naturam non ad complendum essentiam seu οὐσίαν Deitatis, sed ad perficiendum ἐξουσίαν seu oeconomiam Mediatoris. [3] *Communicationum proprietas*, quia propria unius uniti non sunt propria alterius uniti per ὑπόστασιν, cum sibi invicem fiant communia non ἐνυπαρκτικῶς & *inhaesivè* sed συνδιαστικῶς & *associativè* dum ob intimam εἰς ἄλληλα περιχώρησιν & pervasionem alterum alteri sua consociare & communia facit propria. Sed de his alibi.

## Concl. 2. *DEUS notioni praedicabilis praedicamentalis comprehensivè subsistere non potest.*

Patet, quia ratio prædicabilium Porphyrianorum eidem neq; in genere neq; in specie convenit ac competit. Utrumq; quia probatione indiget speciales hæ sunto propositiones, quarum sit

I. Natura divina non potest dici prædicabile. Ratio est, quia in singulis personis secundum essentiam multiplicari non potest. Quicquid autem in singulis inferioribus multiplicari nequit secundum unitatem formalem h. e. intensivè & essentialiter illud prædicabile dici non potest. In hoc enim distinguitur universale à singulari, quod hoc sui multiplicationem neget, illud verò eandem ponat. Si ergo Deus ingrederetur notionem prædicabilis strictè formalis, sequeretur tres esse Deos, siquidem multiplicata essentia, multiplicaretur Deus; at id Ethnicum

II. DEUS non est genus. quia 1. *omne genus de suis speciebus absolutè enunciatur*, hisq; nomen & rationem quidditativam omnibus ex æquo communicat. Ergo si DEI esset aliquod genus ejusdem, aliæ forent conspecies, quæ in illius natura cum DEO communicarent. Nihil verò est, quod in sua natura cum DEO παντελῶς communicet. quia 2. *genus natura prius est suis speciebus*. Est enim symbolum causæ. At DEUS seu Essentia Divina nullo modo prior est Personis Divinis, quia hæ simul sumptæ prorsus sunt ταυτὸ quid cum illâ, suntq; coeternæ. quia 3. *Commune genus communem*

*arguit naturam.* Species illæ quibus commune istud genus tribui deberet, essent aut *Dij* aut *Creaturæ. Dij* autem præter unum solum non dantur. *Si hoc* dabitur aliquid idem essentiale commune Deo & creaturis. Quod si verum, erit illud vel *increatum* vel *creatum. Si illud* utiq; in Creaturis erit aliquid increati. At omne increatum est DEUS. Ergo si non totæ ex parte tamen arguerentur creaturæ essentialiter Dij, quod absurdissimum. *Si creatum* tum aliquid creati erit essentiale increati. Atq; sic absolutè increatus erit aliquo modo sivè ex parte in essentia creatus DEUS; Proinde ex parte Deus; ex parte non Deus essentialiter: cum omne creatum sit non Deus. Illud erat absurdissimum. Hoc ergo multo absurdius. Persequitur id argumentum Dn. J. M. in disp. apolog. 1. Goslavio oppos. the. 49. III. DEUS non est Species, quia (1.) *quot sunt species tot sunt essentiæ.* Species enim quælibet suam habet essentiam, quæ non est in reliquis speciebus. At tres divinas esse essentias scriptura negat, erit ergo una numero, quæ quidem in singulis personis est pariter sed dissimiliter dicente Dn. *Finckio* in disp. super Decal. in Patre ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in Spiritu Sancto ἐκπορευτῶς. Quod autem Deus dici queat unus numero nervosè probat vir singularis eruditionis *Dn. D. Levin Pouchen.* disp. 6. colleg. met. membr. 3. probl. 1. quia (2.) *Omnis species composita est ex genere & differentia.* Atqui Deo genus & differentia non competit. Ratio est quia Deus est simplicissimus ac proinde uti omnem compositionem ita & hanc merito excludit. Quicquid enim subjicitur generi illud duabus ad minimũ constat entitatibus, altera quæ generi, altera quæ differentiæ respondet. Ubi verò est ἄλλο καὶ ἄλλο ibi compositio. Reperiri autem diversas entitates in compositione, quæ est ex genere & differentia patet inde, quod quæ ex ijsdem componantur sese habeant vel per modum potentiæ vel per modum actus, nam duo hæc distinctas subinferunt entitates eo quod disjuncta sint entis affectio cuius membra inter se diversificantur. At in Deo nil est quod se habeat per modum vel actus, sive respicias naturam generis sive differentiæ. Illius ratio est illimitatio ad suas differentias cum in Deo nil limitatum & determinans tanquam in Ens per essentiam cadat. Hujus

jus est extra rationem generis evagatio. Igitur si hæc compositio in DEUM caderet Deus foret compositum quid. At omne compositum esset ab aliquo componente. Hic verò compositi sui esset causa. Jam verò omne causatum à causa est productum. Ergo Deus esset ens creatum; id quod absurdum. *Observes* autem me dum hanc compositionem Deo denego, unicè respicere intentionem prædicabilium Porphyrianam, secus enim illa compositio si omittat potentiam in Deo passivam utiq; illa Deo non repugnat, quia illa compositio rationis est mera denominatio extrinseca in Deo, nullam de se imperfectionem intendens. At extrinseca denominatio mutationis in objectum non est illatio. quia 3. Si Deus est species tum ita dicetur aut prout consideratur *absolutè* essentiam divinam simpliciter respiciens citra characterem hypostaticũ Personarũ, aut prout sumitur *relativè* per ordinem ad Tres Deitatis personas, si posteriori modo acceptetur, sequeretur tria dari Individua in Trinitate prædicamentalia, cum species prædicabilis strictè dicti illa importet. At hoc in Trinitate absonum; sequeretur enim in Deitate pluralitatem dari essentiarum siquidem in Individuis prædicamentalibus valet illud Photinianorum. Quot sunt personæ tot sunt Essentiæ. Si priori modo consideretur, Deus foret genus Tres Personæ species indeq; Personæ Divinitatis specie differrent. *At quæ specie differunt diversas habent formas*, sicq; quod uni ratione formæ attribuitur, alteri attribui nequit, quia unius forma non est *συνεδικὸς* alteri. Id verò de Personis Trinitatis dicere absurdum est. Ergo Deus non est species. Præterea si Personæ Divinitatis dicerentur tres species, essent in Dietate tres causæ agentes sociæ. Nam positis distinctis speciebus ponendæ sunt diversæ actiones. At *tres Deitatis Personæ non sunt tres causæ sociæ*. Ergo. Minor prob. Ubi dantur causæ sociæ, ibi datur partialis influxus. Quælibet enim causa socia est partialis causa effecti. At in divinis dantur causæ sociæ. Ergo in divinis datur partialis influxus. Conclusio est absurda: quia ubi datur partialis influxus ibi datur divisio. At hæc in actionibus divinis ad extra non datur. Actiones enim divinæ ad extra sunt indivisæ. Ergo erit absurda vel Maj. vel Min. Non Maj. fundatur enim in distributione causæ sociæ. Ergo

Minor

Minor. Sequitur itaq; Tres Deitatis personas tres causas socias dici non posse, nec per consequens tres esse Deitatis species.

## ANTILOGIA III.

### Proprium est communicabile: Proprium communicabile non est.

Dist. I. inter *Proprium* quod quatuor habet modos, vel enim est quod *Soli* subjecto convenit sed non omni; vel quod *omni* convenit, sed *non Soli*; vel quod *Soli & omni* convenit, sed *non semper*; vel quod *omni Soli & semper convenit* diciturq; *proprium quarti modi*. Dist. II. inter *Propria* considerata vel *intra unionem subjecti*, vel *extra unionem subjecti*. Dist. III. inter *Communicationem* quæ est vel κατὰ μέθεξιν eamq; partim *Logicam* quando species participat definitionem generum, individua specierum; partim *Physicam*, quando ex uno subjecto aliquid in aliud transfertur; vel κατὰ συνδύασιν Estq; tùm *impropria*, quia proprium partis in prædicatione per Synechdochen attribuitur toti propter illam partem; tum *Propria* quia propter unionem id quod unius proprium est sine sui vel multiplicatione, vel transfusione, subjecto alteri diverso, ad communem possessionem, usurpationem & denominationem realiter confertur.

### Concl. I. *Proprium quarti modi extra unionem subjecti consideratum non est communicabile.*

Patet, quia. I. proprium unius nequit esse proprium alterius. Nam ἴδιον ἄλλων εἶναι ἴδιον ἀδύνατον. h. e. Proprium impossibile est esse aliorum proprium. Porphyr. in Isag. c. 15. §. 4. Ratio est quia propria emanant ex essentia rei, unde si illa communicarentur, foret & hæc communicabilis. At hoc est inconveniens; quæ enim huic subjecto essentialia sunt, ea alij subjecto per se inhærere non possunt. *Zab.* l. 1. posi. ad tit. 58. qnia 2. Si proprium extra unionem subjecti consideratum foret communicabile; sequeretur de subjecto propriorum fieri transmigrationem. At hoc falsum, quia *Accidens* (idem numero) *non migrat de subjecto* (proximo & primario inhæsionis.) *in subjectum*. *Limito* autem hunc canonem ex

parte

parte tum *subjecti*, tum *prædicati*. Circa *subjectum* dico Accidens idem numero. Cum enim Accidens definiatur, quod sit in alio tanquam in subjecto: Id autem dicatur inesse subjecto, quod nisi in illa re cui inest nequeat existere, utiq; accidens subjectum suum deserere non potest, in proprio receptaculo in quo est ad aliud commeando. Circa *Prædicatum* dico de primario & proximo subjecto inhæsionis. Omne enim accidens fluit â certa substantia: At verò quamdiu manet substantia manet & effectus per emanationem qui est ipsum proprium.

## Concl. 2 *Proprium quarti modi intra unionem subjecti consideratum est communicabile.*

Patet id in CHRISTO ubi propria Divinæ naturæ verè & realiter communicantur Humanæ Naturæ idq; 1. *ob arctißimam duarum naturarum συνδύασιν*, quæ inter sese ita sunt unitæ ut in æternum sequestrari non possint; At ubicunq; datur realis intrinseca arctissimaq; duarum Naturarũ *συνδύασις*, ibi datur realis proprio-rum communicatio, siquidem communicatio insequitur unionem. Qualis enim est unio talis est communicatio. Quod autem propria Divinæ naturæ verè communicentur humanæ naturæ fusissimè ac evidentissimè præter alios id monstrat Vir Celeberrimus *Dn. Doct. Mislenta* in defens. demonstrat. evid. de communic. hypost. contra M. Carol. Sachsium. Notes autem quod *in Communicatione duo occurrant*, videlicet *communicans & communicatum* utriq; eodem modo propria non insunt, etenim communicanti conveniunt πρώτως κατ' ἐσίαν, communicato autẽ δευτέρως κατ' ἐξσίαν & κατ' ἄλλο, proindeq; cum de hoc enunciantur, dependenter â communicante denominantur. 2. *ob entitativam & realem duarum Naturarum παράδοσιν*. Concurrunt enim duæ illæ naturæ ita inter se invicẽ, ut unũ reale incommunicabile videl. Personã constituant. Jã verò: Ubicunq; duæ naturæ constituunt unũ reale incommunicabile, ibi fit communicatio propriorum. Ex duobus enim incommucabilibus unum reale incommunicabile constitui nequit. Nec absurdum id est, quia id in natura verum. Quod autem fit per naturam illud multo magis ab eo fieri potest, qui est naturæ Dominus.

Contingit autem ista communicatio propriorum in naturæ circa (1.) *inter materiam & formam* juxta Peripateticos. (2.) inter *animam & corpus*. (3.) *inter ferrum & ignem*. (4.) inter *Magnetem & stylum ferreũ*, quæ singula uberius deducta habemus apud *Dn. Meisnerum* part. 1. sobr. phil. s. 1. q. 2. *Dn. Jac. Martini*. in lib. de communicat. propr. *Dn. Schröder*. in peculiar. l. de communic. prop. *Dn. Finkium* in Schediasm. *Dn. Scharf*. Met. disp. 16. q. 1. & alios.

## ANTILOGIA IV.

## Propria separari possunt: Et Propria separari non possunt.

Dist. I. Inter *separationem* quæ est vel *mentalis* quando intellectus unum sine alio concipit, cum quo aut realiter erat idem aut in unita realitate connexum, diciturq; Abstractio; vel *realis* est quando aliqua in reipsa separari possunt & actu separantur, estq; partim *positiva*, quæ nil aliud est quam unius separatio cum introductione formæ oppositæ; partim *negativa*, quæ est separatio alicujus rei ut oppositum ejus non ponatur. Dist. II. inter *propria* realiter separabilia quæ considerari possunt vel *in cursu naturali* ordinariè se habentium, vel in *cursu rerum supernaturali* potentiam Dei absolutam respicientium.

### Concl. 1. *Propria secundum cursum rerum naturalem modo ordinario separatione reali separari nequeunt.*

Monstrat. id 1. *Propriorum definitio*. Quicquid omni subjecto soli & semper inest, illud nequit separari à subjecto per naturam salvâ manente ipsius essentiâ. Sed proprium omni subjecto soli & semper inest, Ergo separari nequit. *Timpler*. Si autem separari queat utiq; aliquando separatum fuisset, frustranea enim est illa potentia, quæ in actum non deducitur. 2. *Indissolubilis cum subjecto connexio*. Quodcunq; ex institutione naturæ indissolubili nexu cum subjecto cohæret, illud naturaliter à subjecto separari nequit. Sed proprium ex institutione naturæ indissolubili nexu cum subjecto cohæret, Ergo. Min. prob. Quicquid natura naturans ac natura

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0106
DFG

tura naturata subjecto ἀχωρίςως volunt esse connexum, illud stante hac ordinatione à subjecto separari non potest. Sed propria à natura naturante & naturata ad id sunt ordinata ut ἀχωρίςως subjecto essent connexa. Ergo stante hac ordinatione per naturam propria separari non possunt. 3. *Essentialis de subjecto emanatio.* Quodcunq; oritur ex principijs essentialibus subjecti, illud, si subjectū savū manere debeat, per naturam separari non potest. Dico *si subjectum salvum manere debeat*, alias risibilitas per naturam separari potest hominis interitu. Sed proprium oritur ex principijs essentialibus subjecti. Ergo. Maj. prob quia posita causa proxima ponitur effectus, & sublato effectu necessario tollitur causa. Sublatis ergo proprietatibus necessario tollitur essentia.

## Concl. 2. *Propria secundum cursum naturæ extraordinarium per potentiā Dei absolutā separatione reali negativa separari possunt.*

Prob. [1] *à negata contradictionis implicatione.* Quicquid enim nullam incompossibilitatem aut repugnantiam implicat illud per absolutam Dei potentiam est possibile. *Omne* enim *quod contradictionem ex parte rei involvit Dei potentiæ subjiciendum non est.* Cum contradictoriorum alterum semper sit falsum. Falsitatē autē Deo tribuere est blasphemia. Atqui subjectum salvum manere sublatis proprijs nullam implicat contradictionem. Ergo absolutè saltem per Dei potentiam separari possunt Min. prob. oriretur enim illa *repugnantia* vel *ex terminorum oppositione*, vel *ex rerum unius ad alteram reluctatione*, *Non ex terminorum oppositione*, siquidem essentia subjecti & proprij essentia sese non respiciunt ut affirmans & negans, in ijs autem quæ se non habent ut affirmatio & negatio nulla importatur contradictio. *Non ex rerum unius ad alteram reluctatione* fieret enim illud aut *ex parte Subjecti* seu producti, aut *ex parte producentis* seu causæ scilicet Dei. Non *ex parte subjecti*, quia (a.) omne subjectum effectivè dependens à Deo habet potentiam obedientialem productori suo obediendi. quia (b.) propria sunt extra sui subjecti ἀσίαν. Non enim sunt συζευκτὰ sed συζεύσεως ἐπόμενα, quia essentia sine proprio absolvitur. Et forma natu-



ralis

ralis à qua pendent propria hæc absoluta non est illorum causa efficiens ut forma, sed est illorum causa ut efficiens nec illorum causa ἀπλῶς efficiens sed subordinata & dependens. Quicquid autem est extra essentiam rei illud salvâ manente essentiâ abesse potest saltem potentiâ Dei extraordinariâ. *Non exparte Dei.* Etenim (1.) infinita DEI virtus omnia potest præstare quæ rationem factibilitatis habent. Nam ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον ἐδέν. Versus est *Lini.* Et ratio dari potest, siquidem quodlibet agens agit in sibi simile & cuilibet activæ potentiæ correspondet possibile tanquam objectum proprium. Quia itaq; *potentia divina hæc absoluta* est, *refertur ad possibile absolutè* sub quo continetur quicquid habet rationem entis. Quicquid autem habet rationem entis id factibile est absolutè, & absolutæ omnipotentiæ divinæ objectum, ait Dn J. Mart. in exerc. Metap. (2.) Deus ad quamvis causæ secundæ actionem concurrit, in quo concursu influxum suum suspendere potest ad actionem formæ per emanationem, quâ proprium producitur. Quod num fieri possit, vel inde liquet, quod *Deus concurrat ad constitutionem Humanæ Naturæ in Christo*, ubi tamen influxum ad suppositalitatis emanationē suspenderit, igitur si hoc fieri potuit, cur illud potentiæ divinæ derogandum erit [2.] *à nō necessaria posterioris ad prius insecutione.* Quia omne prius natura potest esse sine suo posteriore realiter distincto, si non ab eo dependeat. Sed subjectum prius est proprio realiter â se distincto nec ab illo pendet, quia nec constituitur ab ipso nec conservatur per ipsū. Hinc patet quam *absurdi sint Calviniani*, Corpus Christi prætendentes in Sacra Synaxi non adesse eo quod proprietates corporis sint palpari & videri, quæ dum sunt propria, à corpore Christi separari non possint. Confer. *Dn. Schröder.* in lib. de comm. propr. the. 596. *B. Meisner.* part. 1. Sobr. phil. S. 1. c. 1. q. 1. *Jac. Mart.* in prælect. in Log. Keker. l. 1. S. 1. c. 21. *Weger.* in quæst super Org. Arist. qu. 17. p. 270. *Ex Scholasticis Dominicus de Bannes* p. 1. q. 73. a. 6. *Sanchiez* tom. 1. comment. in Org. q. 76. & 77. concl. 1. *Smiglec.* disp. 5. Log. q. 9. difficultat. 4. *Masius* in c. de propr. q. 6. Item *Scotus*, *Capreolus* & alij.

ANTI-

## Accidens potest adesse & abesse citra subjecti corruptionem: Et Accidens non potest adesse & abesse citra subjecti corruptionem.

Dist. I inter *Accidens* quod juxta *Tartaretum* L. præd. f.16. accipitur vel *Physicaliter* (licet hic ονοματοποιῶν τὸ συμπαρακολουθητικὸν καὶ συφνειας ἕνεκα Scal exerc.297.) Sic adesse idem est quod separari & adesse idem quod inhærere; vel *Logicaliter* sic adesse idem quod affirmari & adesse idem quod negari. Dist. II. inter *Accidens* quod est vel *Prædicabile* quod extra essentiæ constitutionem per modum concipiendi & prædicandi adesse vel abesse potest à subjecto citra ipsius corruptionem; vel *Prædicamentale*, quod est extraneum essentiæ subjecti secundum modum prædicationis & conceptionis nostræ, secundum peculiarem aliquam rationem quæ ad constituendam seriem prædicamentalem sufficit. Dist. III. inter *adessentiam & abessentiam* aut *aptitudinalem* quando idem est quod potest adesse vel abesse, aut *actualem*, quod actu per naturam separari non potest, quoad actionem simultaneam, bene qua actionem successivam.

### Concl. I. *Accidens sumptum & Physicaliter & Logicaliter ut est prædicamentale non potest adesse & abesse actualiter citra subjecti corruptionem.*

Patet utrumq; quia Accidens ita acceptum substantiam perpetuò concomitatur eiq; actualiter inhæret. At quod substantiæ actualiter inexistit id secundum ordinariumnaturæ cursum abesse nequit à tota subjecti perfectitudine. Quicquid enim ad subjecti perfectionem suo modo facit, illud ab eodem abesse non potest. Atqui hoc modo accidens prædicamentale potissimum externum facit ad perfectionem subjecti. Ergo ab eodem abesse nequit. quia 2. Si Accidens abesse posset à subjecto fieret illud vel per se vel per accidens. At circa ea quæ per accidens fiunt natura directè non occupatur. Ergo illud fieret à se, at quod per se abesse potest, agnoscit

causam efficientem, quæ accidentia expellat. At in subjecto non datur causa efficiens, illud enim in Entibus corporatis semper appetit perfectiva sua accidentia unitivè. Dico autem *accidentia perfectiva*, quia *peccatum est accidens prædicamentale* & tamen totum hominem corrumpit, eo quod in locum justitiæ originalis successit.

## Concl. 2. *Accidens Logicum prædicabile potest adesse & abesse aptitudinaliter citra subjecti corruptionem.*

Quicquid potest affirmari vel negari stante subjecto, hoc est non negato subjecto, id potest adesse vel abesse citra subjecti corruptionē. Patet quia adessentia & absentia hic non intelligitur Physica sed Logica ratione prædicationis consistens in abstractione accidentis à subjecto, sicq; nihil aliud est quam affirmatio & negatio de subjecto sine ejusdem repugnantia. Unde *quicquid non ingreditur essentiam subjecti illud salvo subjecto abesse potest.* Atqui accidentium prædicabilium licet inseperabilia sint secundum rem: tamen non ingrediuntur essentialem subjecti definitionem. Patet quia omnis definitio constat ex ijs quæ essentiam rei constituunt. At accidens essentiam rei non constituit. Nullum enim accidens est de essentia subjecti *Scheck.* l. 2. post. p. 377. Siquidem omne accidens est posterius suo subjecto. Nullum autem posterius est de essentia prioris Zab. l. 1. de N. Log. c. 11. Jam vero accidens Logicum prædicabile potest affirmari & negari stante subjecto. Homo enim licet albus sit sive niger, sive neq; albus neq; niger Homo est. Hic quæritur. *An peccatum originale possit dici accidens prædicabile?* A. Ita pro nobis loquatur Clariss. Dn. Scheibl. qui lib Top. c. 7. ita differit: Licet peccatum originale sit accidens prædicamentale nihilominus tamen peccatum originale est accidens prædicabile. Nam quod dicitur adesse & abesse, id non intelligitur necessario de actuali absentia: (sic enim aliqua accidentia sunt inseparabilia:) quia definitiones assignatæ per actum intelligendæ sunt per potentiam, satis ergò est, si τὸ ἐπινοηθῆναι h. e. per intellectum possint abesse. At procul dubio potest cogitari essentia humana non cogitato peccato.

cato. 2. Potest etiam peccatum originale ab homine actu abesse. Nam idem numero homo fuit, qui stetit in justitia originali & postea fuit in macula originali, & deinceps in vita æterna carebit istâ maculâ. Si enim alius numero homo est, qui habuit justitiam, & alius qui habuit peccatum, & alius qui habebit gloriam. Ergo non punivit DEUS eum qui peccavit, nec eum justificabit, qui nunc in peccato existens apprehendit CHRISTVM, sed alium numero diversum, quæ sunt absurda.

## AUCTARIA.

*An miranda Fulminis effecta causas agnoscant naturales?*

Tritum Philosophorum est πολυθρύλλητον: Omne effectum arguit suam causam. Erit ergo Fulminis ejusq; effectuum causa aut *præternaturalis*, aut *naturalis*. Non *Præternaturalis* quia 1. ejus rei naturalis potest dari causa uti deinde probabitur. At quod à natura potest elaborari, extra naturam non debet indagari. quia 2. causa præternaturalis naturalem non tollit, si enim tolleret, foret illa causa aut *Deus* aut *Spiritus* aut *Homo*. Non [1.] *Deus*, quia hic prima rerũ omniũ est causa. Causa autẽ prima secundas nõ destruit sed perficit. Non [2.] *Spiritus*, esset ille aut *Bonus* aut *Malus*. Non *Bonus* quia is sine Dei jussu nil exequitur naturæ quod repugnet. Non *Malus* quia (1.) is uti rerum naturaliũ non est autor ita earundem effecta pro lubitu producree non potest, cum ex illis gloria solius Dei deprædicetur. Gloria autem Dei creaturæ non est assignanda juxta illud Esa. 42. v. 8. אֲנִי יְהוָה הוּא שְׁמִי וְכְבוֹדִי לְאַחֵר לֹא־אֶתֵּן Cũ enim res omnes à Deo habeant Esse ab eodẽ quoq; suũ habebunt Moveri. Entia enim quatenus Entia à seipsis non moventur, nam quod ab alio dependet in essendo, id ab eodem quoq; dependet in operando. Jam vero quia Diabolus fulminibus non dedit Esse ob essentiæ suæ finitudinẽ, utiq; ab ipso nisi movente simul primâ illa causâ non movebuntur fulmina. Si enim fulmina sine prima causa moveret, ejus actio contrariaretur actioni divinæ. At hoc non quia ipse Diabolus fatetur se nil absq; fato divino proprio conamine exequi posse. Job. 1. &2. Math. 8. v. 31. quia (2) Si Diaboli potentia ex se tanta foret ut producere & concitare fulmina posse

posset pro lubitu, sequeretur ne ullum hominem præ Dæmone vitæ suæ fore securũ, utpotè cum acerrimus illius sit hostis occasionem eundem interficiendi non intermittens At hoc quia ipsi denegatur. Ergo ejusdem in fulmina per se nulla datur potestas. Si verò conjunctim spectetur ejus potentia videlicet Deo permittente & Naturâ concurrente, utiq; Dæmon fulmina producere potest uti patet Job. c. 1. v. 16 & 19 puta vel elementarem materiam commovendo vel disgregatas exhalationes componendo &c. At id non præter naturam sed secundum naturam molitur. Non [3.] *Homo* qui per se fulmina ciere nequit, quia (a) hujus potentia multò minor est diabolicâ. At quod nequit præstare virtus major, nequit exequi virtus minor. quia (b.) exequeretur hanc potentiam homo per actiones aut *corporeas* aut *incorporeas*. Non *incorporeas* fierent enim illæ vel *per nuda verba & orationes vel per ceremonias & imprecationes*. Non *per orationes*, sunt enim hæ meræ quantitates. At quantitatum nulla est efficacia. Non *per imprecationes & Ceremonias*, quia formarum externarum nulla per se est operatio. Dixi autem quod *Homo per se* fulmina excitare non possit; Si enim hominum facultas consideretur non ut propria sed ut aliena, nempe virtute Diaboli (de potentia divina per modum miraculosum nullum est dubium) utiq; id omninò præstare possunt, facit enim hoc Diabolus ut socium habeat iniquitatis & æternæ calamitatis; quæ tamen effecta non à Magis sed ab ipso Dæmone Dei permissu proveniunt naturalibus mediis promota. Dabitur ergò hujus meteori *causa naturalis*, quæ ut accuratius percipiatur primùm in genere Fulminis causæ veniunt enodandæ quæ absolvuntur Efficiente, materiâ, formâ, fine. *Causa efficiens* est vel *Prima* vel *Secunda*. *Prima* est Deus qui omnium effectuum primum existit Principium. *Secunda* est vel *Remota* vel *Propinqua*. *Remota* est influxus Syderum & Planetarum ac utplurimum Solis, qui copiam effluviorum ex terræ gremio extrahit, extractam evehit, evectam in mediam aêris regionem exonerat & immittit. *Propinqua* est exhalationis inflammatio, quæ ex interna materiæ dispositione in ignem erumpit & plerumq; flammam in terram usq; jaculatur. *Materia Fulminis* alia est *remota* alia *propinqua*. *Remota* est Aqua & Terra. *Propinqua* est exhala-

exhalatio sulphurea ac viscida cum nitrosa & salsa permixta, quæ durâ & frigidâ cute obducta ad eam Spiritus incensi impingunt, unde repercussi ex crebra collisione violenter versus terram deprimuntur. *Forma* seu Modus processionis intelligi potest ex alembico ad ignem appositio, ubi ex fundo vapores ex plantis sursum exhalant perpetuo: eodem modo se res habet in superioribus. Mundus est alembicus Naturæ. Aêr alembici hujus pileus. Sol ignis est. Terra & Aqua sunt mineralia, quæ ab igne hoc recocta vapores sursum versum exhalant perpetuò; ita vapores adscendunt salsi, sulphurei, nitrosi &c. qui in nubibus complicati ac deorsum missi varios edunt effectus uti egregiè comparationem hanc instituit *Comenius* Synops. Phys. p. 122. *Finis* Fulminum respectu nostri est duplex videl: (α) *Animantium præ venenatis halitibus præservatio.* Cum enim aêr plurimis scateat exhalationibus, cum iisdem plerumq; putres & pestiferæ permistæ sunt atomi, ne ergò aêr hic venenatus intrà pulmones recipiatur & ad cor delatus pestiferâ id qualitate inficiat, fulmen easdem consumit. (β) *Ulteri terrestris ad fovenda semina præparatio*, ne enim Spiritus frumenti exspiret suaviter fulminali aquâ irrigatur & blanditer Spiritu fulminifero refocillatur ut hinc prolificari queat. Quod ergò attinet miranda Fulminis effecta fiunt illa in rebus aut inanimatis aut animatis, partim irrationalibus tum venenatis tum non-venenatis, partim rationalibus, de quibus unum & alterum problema sumus investigaturi. Quæritur itaq; I. *Cur gladius liquefiat illæsâ vaginâ; aurum & argentum liquescant loculis nullo modo ambustis; ossa lædantur salvâ cute?* Respond. quia fulmen quod aridissimum est urit, durissimum & solidissimum terebrat & frangit, resistentibus vim acriorem imprimit teste *Senec.* l. 2. quæst. nat. c. 25. quam ob causam triplex datur fulmen, videlicet 1. *Terebrans* seu scindens, constat exhalatione subtili & flammeâ cui per angustissimum fuga est ob sinceram & puram flammæ tenuitatem. 2. *Dissipans* seu Discutiens est quod conglobatum Spiritus sulphurei & nitrosi cõacti & procellosi commixtam vim habet. 3. *Infuscans* seu Urens, quod Spiritu spisso acigneo, qui res tactas lædit vel infuscando, vel amburendo vel acendendo. Hinc dicimus vagina, marsupia & cutis

cũ sint porosa & rara spiritus fulmineus per eadem liberè transiens ac citissime penetrans corpora solida, tanquã hostem sibi resistentem aggreditur, quæ vehementiori vi convincit, victa pro dispositione materiæ si liquefieri possit ut metalla colliquet, si inflammari possit inflammet, sin utrumq; fieri nequeat conquassat. Ex quâ ratione & sequentes quæstiones possunt resolvi: *Cur* scilicet *pedes illæso calceo conterantur? Cur manus lædatur salvâ chirothecâ eidem superinducta? Cur medulla arborum sine externo læsionis signo exuratur?* &c. II. *Cur retia in mari amburantur?* Respond. Spiritus fulminis cũ maximè sit subtilis & sulphureæ qualitatis, aquam facilè penetrare potest, qui licet ejusdem frigiditate langueſcat, tamen ob ejusdem circumobsistentiam sese recolligit & unitur, ut hinc vis unita fortior fiat dispersâ, atq; sic velut in calce viva sine impedimento in aqua marina ob viscositatem quæ igni pabulum præbet, inflammetur. Præterea cum Spiritus ille sit igneus, qui cum ob ignis naturam non possit non urere in materia præsertim combustibili, utiq; secundum proprietatem suam in retia combustibilia in ipsis undis marinis agere valet, eadem si non comburendo, tamen ambu[illegible]ndo & infuscando. III. *Cur Cerevisiæ & Vina vasis intacta fulmine corrumpantur?* Respond. 1. *Cerevisia* si multâ caloris ac pinguedinis copiâ sit vestita, fulminei Spiritus semper illuc vergunt ubi sui similitudinem reperiunt cum omne simile attrahat suum simile, qui vasa cerevisiaria ingressi celeriusculè fecem loco quo subsidebat commovent, hinc fit ut Cerevisia ob calorem ac pinguedinem à Spiritu inflata tumescat, atq; itaq; Spiritus ob loci angustiam cum simili cohorte per angustissima erumpat & exhalet ut exinde tenuis permanens Cerevisia ocyus acescere queat nullo odore & sapore fermè relicto. 2. *Vina*, quia subtilioris sunt substantiæ ob analogam cum Spiritu fulminis similitudinem perceleriter ab eodem affici possunt, qui cupam penetrans ac sese cum vinosis Spiritibus commiscens continuò exhalat, ut præter Vinũ nil nisi humor aèreus supersit. Quod si verò Spiritus fulmineus sulphureæ sit naturæ, cupam penetrando aut partes quasdam vini igneâ suâ naturâ absumit, aut quasdam partes in Cineres, in quos non-nullas partes per rimulas fatiscere cogit, quæ externo frigore constinguntur

tur ne vel ullum dissolutionis vestigium in doliis appareat. *Plutarchus* meminit l. 4. quæst. contr. in *Elide* domo Oratoris *Dorothei* fulmine tactâ mirabiles contigisse effectus. *1.* Vinum vasis integrè manentibus discedit. 2. Pecunia in loculis Hominis dormientis liquefacta est citra ullū illius ac vestimentorum noxam. 3 Argentea Scrinia colliquefacta sunt cistulâ (in qua delituerunt) nihilominus læsione intactâ. IV. *Cur fracto per fulmen dolio vinum non effluat?* Respond. quia sulphureus Spiritus sua subtilitate per vasorum poros ineundo vini partes exæstuat, qui si non sit vehementissimus partes vini exhalare facit, priori quo dictum est modo, sin impetuosus lignorum compagem dissolvendo, exteriores vini partes, pelliculâ ex viscosa Sulphuris materie contracta cursim obducit, quâ ceu Corio & utre, non secus ac recens ovum in ventre Gallinæ tenerâ cuticula cingitur, liquoris copia continetur. V. *Cur animalia Venenata tactu fulminis veneno priventur, non venenata veneno imbuantur?* Ratio illius est, quia venenatus fulminis Spiritus venenatum corpus intrando spiritum venificum sibi cõunit, ac cõunitum sine mora secum aufert, utpotè cum venena venenis, frigida frigidis, calida calidis tollantur. Causa hujus est, quia pravus fulminis spiritus ex aëre collectus in corpora benigna inimicatur, quæ dum intrat venenosâ malignitate afficit; unde animalia carnivora à cadaverum istorum abstinent esu, teterrimo odore deterrefacta. VI. *Cur fulmine pili hominis subalarii cute & carne salvâ manentibus exurantur?* item, *Cur induſium, vestes, calcei item Zona lædantur salvo corpore?* Respond. fit id à Spiritus fulminis subtilissimo & flammeo, qui sui distractione debilis existens non nisi ea quæ siccissima sunt exurit, hinc quia tum temporis aër calidus existens corpora hominum sudore madida reddat, fit ut à tali humore flamma extinguatur ac partes humidæ non accendantur. Hanc rationem à nonnullis submini strat am uti non nego, ita aliam (quæ probabilior mihi videtur) adduco; quod nimirum Spiritus fulminis flammeus ob sui distractionem ea duntaxat aggrediatur, quæ magis sunt pinguia citò tamen combustibilia: hinc quia cordis illa emunctoria sub brachiis humanis pro excrementorum evaporatione semper patent pinguedine quadam suffusa, fit ut Spiritus ad

eam subtilem duntaxat materiam descendat eandem comburendo, cutem verò ob sui debilitatem nullatenus accendendo. Deinde cum fulmen urens illa potissimùm objecta aggrediatur quæ magis combustibilia sunt, utiq; tum vestimenta & alia ejusmodi citius comburi possunt ob partes sicciores. *Quod autem nonnunquam Zona argentea in corpore humano* quod non dudum nobilissimæ virgini non procul à Schiffenburgo Borussorum accidit, *colliquescat*, id provenit à fulmine terebrante cujus natura est, quicquid reperiat solidi, ut contumax vincat, quicquid resistat vehementiâ ac violentiâ dissipet, cum contrà quod cedat aut nullâ aut levi afficiat injuriâ, uti innotuit ex quæstione primâ circa hanc materiam. VII. *Cur fulmen quandoq; jugulet hominem nullo extrinseco ictus & adustionis vestigio relicto?* Respond. quia Spiritus fulminis venenatus subtili præditus naturâ corporis humani poros incitatè permeando, interiora ejusdem perniciter alterat, ubi cum ad nobilissimam cordis arcem, copiam inibi Spirituũ & caloris sentiens devenerit, sulphurulentâ suâ malitiâ quodvis vitalitatis medicamentum destruit, destruendo seipsum humoris abundantiâ suffocat, ut exterius indicium nullum penitus appareat. Exemplum hujus recitat *Cardanus* l. 8. rer. mirab. c. 43. quod in Insulâ Lemno sub quercu octo viri (tempore messis fruges demetentes) consederint, quos dum cænaturos fulmen tetigit, reperti sunt eodem consessu instar vivorum aut bibentes, aut cultello panem scindentes, aut frustum jusculo intingentes, nullo tamen extrinsecus signo læsionis cognito. IIX. *Cur Infantes in utero materno fulmine pereant salvâ parente?* Nos cum Kekermanno duplicem terribilis hujus effectus assignamus rationem. Altera est quod Prægnans inopinato fragore ac stridore perterrefacta abortum fecerit, sic ut fœtus fulmine tactus existimetur, cum tamen revera matris horror infanti poculum mortis propinaverit exsiccandum. Altera est quod Spiritus fulminis corpus maternum ingressus præsertim si subtilissimus extiterit, non membra matris tanquam ætatis diuturnitate confirmatiora sed infantis tenerrima apprehenderit ac iisdem pestifcram suæ malitiæ luem infuderit, ut hinc naturæ vitam solvere debuerit. IX. *Cur fulmen feles ac canes propè hominem jacentes enecet ipso tamen*

*tamen incolumi permanente?* Item: *Cur unus fulmine tangatur alter eidem assidens non lædatur?* Ratio Prioris est, quod ex istis animalibus halitus sulphurei ac calidi affluenter exsurgant quos Spiritus fulmineus sibi propinquitate conjunctos tanquam fomentum suum quæriat, usq; dum ad ipsum exhalationis pervenerit fontem, quem adoriendo penitus exhaurit, hinc si vi expellantur conclavibus ista animalia, in ipso nonnunquam tanguntur limine. Rationem datam satis confirmat *Naphta*, ex qua dum subtilissimi & siccissimi Spiritus exhalant, fit ut ex longinquo adductâ faculâ ob naturæ similitudinem materia in flammam erumpat; sicuti id factum legitur in Historia Alexandri Magni, qui Babyloniam peragrando in quadam urbe remorabatur, ubi ejusdem Inquilini naturam Naphtæ Alexandro commonstrantes, aliquot hujus guttulas in Regis Plateam effuderunt, cui dum præsentiam faculæ è longinquitate ostenderent totus aêr puncto temporis flammescere occipiebat. Idem hoc contigit Juveni Alexandri Cæsaris Præcentori, qui illinitus oleo Naphtæ nudum se in Balnearium introdabat, ubi cum alius per ostium facem præsentaret, citius eam vicissim abducendo, iste totaliter inflammatus, ni flammam aquâ restinxissent alii, interiisset. Ratio Posterioris est, quod juxtà dispositionem temperamenti Spiritus fulminis ad illud objectum tendat, ubi plus nutrimenti existit. Receptivum enim recipit non ad modum imprimentis sed ad modum suæ receptivitatis, quod cum reperit sine morâ interficit. X. *Cur dormientes fulmine percussi, apertis reperiantur oculis, cum tamen in vigilantibus contrarium proveniat?* Resp. cum *Sperling.* Phys. p. 902. quod terrore correpti oculos subitò aperiant, quos morte oppressi claudere nequivêre. Vigilantes oculis reperiuntur clausis, quia ne fulmina terribilia conspiciant oculos datâ claudunt operâ, quos aperiundi nulla post datur potestas. *Kekermannus* disp. extraord. de fulm. adhuc aliam assignat rationem: nimirum, inquit, Spiritus fulminis, quia valdè subtilis est oculos primo occursu obvios & ad recipiendam passionem idoneos invadit & quia idem Spiritus est valde siccus, tumorem sub ciliis clausum facilè absumit, atq; ita cilia contrahens oculos reddit conniventes & patentes. Quando verò Spiritus idem, corpus ipsum re-

pentè invadit ac demolitur per oculos etiam devastato jam intus corpore tanquam per viam satis commodam exhalare & exire nititur, nempe quos malignitate suâ ita reddit tumidos ac prostantes ut ciliis integi nequeant. Plura fulminis effecta videantur apud alios Nos filum de hac materia abrumpimus, interea conf. *Plutarch.* l. 4. quæst. cont. c. 2. *Plin.* l. 2. c. 51. *Lemnius* l. 2. c. 48. *Kekerm.* cit. l. itemq; plures alij.

*Unde Signorum nomina*; item *Dodecatemoriarum origo profluxerint?*

Duo hîc involvuntur quæsita quorum I. *Quis Signorum cælestium nomina imposuerit?* Primò nullum est dubium Signa nonnulla cælestia originem traxisse partim ab Agricolis, partim à Nautis quorum utriq; actiones juxta Stellarum motum instituerunt; quia autem Patriarchæ inprimis antediluviani maximè studio agriculturæ fuerint dediti, probabiliter colligere licet, eosdem horum signorum primos extitisse inventores, utpote cum *Josephus* l. 1. antiq. Judaic. c. 3. testetur ab iisdem Bigadem Columnarum fuisse extructam in gratiam posteræ ætatis, ut vel hinc Abrahamus in notitiam veri Dei adlectus fuerit ac impulsus, quin & ex Græcorum Chronicis manifestum evadit Atlantem antiquissimum Mathematicum fuisse Enochum. Nec est quod objiciatur Job. c. 9. v. 9. &c. c. 38. v. 31 32. Es. 13. v. 10. nominum gentilitiorum mentionem fieri quæ Patres cælestibus indidisse corporibus incredibile videtur. Equidem (1.) lubens fateor Patriarchas horundem nomina Stellis non imposuisse sed potius ab Ethnicis profluxisse, qui cognitione Astronomiæ à Patribus hausta nonnullis astris gentilitij nominis maculam asperserint. (2.) Dubium occurrit maximum, utrum voces hebraicæ in Sacris occurrentes quæ Stellis superimpositæ gentilitia designent nomina? utpotè cum illæ hisdem non correspondeant. Ubi enim in Latina versione est Orion in Hebræo habetur כְּסִיל à כֶּסֶל Insipientem esse; Item loco Arcturi in hebræo est כִּימָה à כִּים &c. Ex quibus apparet alia horum astrorum fuisse nomina, quæ Ethnici ob honorem in nomina Deorum suorum immutaverint ceu sunt: Arcturus, Orion, Hercules, Perseus, Andromeda, Cassiopæa &c. (3.) Licet hæc nomina

mina in Sacris literis ejuscemodi nominibus insignita extarent, tamen adhucdum nil obtinebitur siquidem Sacra Scriptura iisdē utitur non *approbativè* sed *recensivè* nomine usitato & trito abutendo, ut inquit *Cyrill.* in Comment. super lib. Job. II. *Quænam sit Origo Dodecatemoriarum*, seu *Cur Zodiacus in 12. dividatur partes?* Ratio hujus distributionis hæc est: Veteres dum animadverterent Solem Zodiacum peragrando Lunam Soli duodecies appropinquare, illi numerum hunc quamvis exactè motui Solari non corresponderet, majoris commoditatis ergò retinuerunt, utq; in Zodiaco tot essent imagines quot partes Cancro pedes abscindendo Libram ex iisdem construxerunt, 12. Zodiacum imaginibus complentes. Hinc est quod M. Tulius in Arato.

*Zodiacum hunc Graci vocant nostriq; Latini*
*Orbem signiferum perhibebunt nomina vero:*
*Nam gerit hinc volvens bis sex ardentia signa*
*Hæc Sol æterno convexit lumine lustrans*
*Annua conficiens vertentia tempora cursus.*

*An detur Primum Mobile?*

Primum Mobile vulgò creditur esse Orbis Cæli supremus, quo Cælum 24. horarum spatio circumvolvitur, & reliquos omnes orbes inferiores secùm circumrapit, ut nimirum istis 24. horis ad idem punctum redeat, unde cæptum est moveri. Verum si dicatur quod res est, motus illius περιπλογία nullum planè agnoscit fundamentum; Si enim moveretur, movebitur *motu* aut *violento*, aut *naturali*. Non *motu violento*, quia hic principium movens externum agnoscit, quod in motu violento necessariò requiritur, eo quod motus violentus & naturalis ita dividatur respectu moventis. At Primum Mobile principium movens externum non agnoscit, quia Intelligentias motrices tacet Scriptura, abhorret Natura. Non *motu naturali*, quia motus Corporum cælestium quò remotior à Centro, eò est tardior, id quod satis ex corporibus Planetarum demonstrari potest. Planeta enim quò centro est proprior, eò citius ejusdem motus absolvitur. At vero Primum Mobile omnium corporum est extimum & remotissimum igitur motus ille erit Non-Ens. Non-Entis autem nullæ sunt affectiones. Taceo hypothe-

potheſium falſitatem, quibus hæc ſententia laborat. Sin inſtituti ratio permitteret in immenſum dicendi campum expatiandi daretur occaſio, verùm βεαχυτηΦιλίας χάριν nolui hanc quæſtionem ἀκριβῶς refellere ſed de eadem mentem moſtram ἀκριπτῶς exponere.

*An Saturnus, Mars, Caput Meduſæ aſtra maligna meritò dicantur?*

Diſt: inter id quod eſt *malum ex ſuâ naturâ*, & inter id quod *eſt malum alteri*. Saturnus, Mars, Caput Meduſæ non ſunt aſtra maligna ex ſuâ natura. Obſtat enim (1.) *Primæva creatio*, quâ omnia valdè bona condita fuerunt Gen. 1. Syr. 39. v. 21. & 23. it. c. 42. v. 26. ita ut οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς Φάρμακον ὀλέθρου Sap. 1. v. 14. *Dn. Lutherus* ita vertit was in der Welt geſchaffen wird das iſt gut vnd nichts ſchädliches darinnen. utpotè cum extiterint à ſummè Bono principio videlicet Deo, qui cum ſummè bonus ſit, ab eo non niſi bonum eſſe poterit *Scal.* exer. 307. ſ. 7. Qualis enim Cauſa, talis eſt & effectus. (2.) *Entitatis participatio*. Aſtra enim illa ſunt Entia. At omne quod eſt in quantum eſt bonum eſt, *Auguſt.* l. 83. q. 24. Quod enim non eſt bonum ne eſt quidem, ſiquidem Ens & bonum æquè latè patent *Thom.* p. 1. q. 5. art. 5. &. q. 21. de verit. art. 2. (3.) *Univerſalis operatio*, Agunt enim Aſtra univerſaliter in inferiora, ſed non per malitiam; Etenim malum in illis eſt non *poſſeſivè* ſed *diſpoſitivè* agendo in inferiora ſecundum materiæ diſpoſitionem, quàm qualiter inveniunt, taliter afficiunt. Omne enim receptivum non recipit per modum imprimentis ſed per modum ſuæ receptivitatis. Poſſunt interim illa *Aſtra eſſe malum alteri*, videlicet Homini, hic enim cum ex ſtatu bonitatis deſciverit in ſtatum malitiæ, fit ut nonnulla Aſtra in corporibus hominum quandoq; malignas perturbationes & frequentes clades gignant, atq; ita dicente *Platone* ſecundum merita materiæ infundantur; quibus tamen eorum bonitas non diminuitur. Si quid enim alicui eſt nocivuum per virtutem ſuæ cauſæ, non tamen ipſa natura propterea mala eſt, quandoquidem judicium de rei alicujus bonitate non eſt ferendum ſecundum ordinem ad aliquod particulare, ſed ſecundum ſeipſum & ſecundum ordinem ad totum univerſum; ita ut vel hinc maximè verum ſit illud Syracidis c. 39. v. 39. Ἄγαθα τοῖς ἀγαθοῖς ἔκτισται ἀπ' ἀρχῆς. ὅτως τοῖς ἁμαρτωλοῖς κακά.

# ANTILOGIA I.

Disp. IIX. *Respond.* Gotho-fredo Vuolfio Breslâ-Silesio.

## Prædicamenta sunt tractationis Logicæ: & Prædicamenta non sunt tractationis Logicæ.

Dist. I. inter *Prædicamentorum materiale & formale. Illud* sunt Entia in contractione spectata, quando Ens contrahitur per Subsistentiam & Inhærentiam ut ad Specificam aliqualem rationem determinatum, sit vel Substantia vel Accidens. *Hoc* est notionalis rerum ad prædicationem in certa materia per certos gradus instrumentaliter ordinatarum dispositio. Dist. II. inter *prædicationis materiale* quod accipitur vel in *sensu totali* quâ universalis Entium natura in contractione Entitatis expenditur; vel in *sensu partiali* quâ Entia secundum particulares naturas speciatim indagantur. Dist. III. inter *tractationem* Logicæ *præliminarem* qua aliquid in Logicis ut præludium præmittitur & *essentialem* quâ alicujus tractatio in Logicis tanquam pars integralis instituitur.

### Concl. I. *Prædicamenta quoad materiale considerata, sive in sensu totali sive in sensu partiali, non sunt considerationis Logicæ.*

Non 1. *in sensu partiali* quia sic particularis Entitatis ratio ab Entis quasi speciebus præscinditur speciatim in Disciplinâ cui subest evolvenda. Cum enim Metaphysica determinationem Entis ad objecta inferiorum scientiarum exhibeat mutuantur ab illa quævis disciplinæ sua Objecta quæ formaliter enodare coguntur indeq; nulli aliæ disciplinæ objectum suũ alterius propriũ ut sit committunt. Non. 2. *in sensu totali.* Docet enim id (1.) *Objecti Logici expedientia* Indagat quidem Logicus entia rerũverùm non realiter sed

tantum notionaliter, nec tamen omnia ad prædicamenta transferre poteſt. Etenim entia rationis & tranſcendentia à notione prædicamentalitatis exulant. (2.) *Entitatis reſiſtentia.* Cupit enim quodvis Ens accuratione quadam juxta intimitatem Eſſentiæ enodari. At in Logicis non Ejusdem eſſentia monſtratur, ſed ſuper illud directionis perfectio indagatur. (3.) *Notionis primæ evidentia.* Nam Ens eſt notio prima. At notiones primæ quia ipſarum rerum immediata ſunt ſigna in Diſciplinis realibus & objectivis ex inſtituto, non in inſtrumentalibus & directivis conſiderari appetunt & expetunt.

## Concl. 2. *Prædicamenta quoad formale conſiderata eſſentialis ſunt tractationis Logicæ.*

Patet id 1. *propter aptitudinis prædicandi affectum.* Quicquid aptitudinem prædicandi in rebus ſimplicibus materialiter deliteſcentem ſub ordinatâ diſpoſitione explicat, illud eſſentialis Logicæ eſt tractationis. Atqui Prædicamenta quoad formale conſiderata aptitudinem prædicandi in rebus ſimplicibus materialiter deliteſcentem ſub ordinata diſpoſitione explicant. Ergo eſſentialis Logicæ ſunt tractationis. 2. *propter primæ mentis operationis Objectum,* quod conſtituunt termini ſimplices. At prædicamenta exhibent terminos ſimplices ad veritatem repræſentationis conducentes. Igitur ex profeſſo tractationis ſunt Logicæ. 3. *propter expeditionis Logicæ effectum.* Tota enim Logica id ſolum expedire tenetur, ut dirigat functiones intellectus per diſtincta media, At tale medium etiam ſunt prædicamenta, quæ formalem Terminorum præparationem certæ materiei adjudicatorum ad prædicationis ſtructuram aperiundo, operationem Logicam exercent. Hîc non incommodè quærimus. *Quot ſint Prædicamenta?* Retinebimus nos uſitatum numerum denarium ita progreſſuri. Quicquid eſt vel per ſe ſubſiſtit & dicitur ſubſtantia, vel alteri inhæret & dicitur Accidens & hoc eſt vel Abſolutum vel Relatum vel abſoluto-relatum. Abſolutum vel conſequitur materiâ ut Quantitas, vel formâ, ut Qualitas. Relatum eſt Relatio. Abſoluto-relatum afficit Subſtantiam cum reſpectu vel Qualitativo ut Actio & Paſſio, vel quantitativo ut Ubi & Quando, vel relativo ut Situs & Habitus. Aliam diviſionis varietatem videſis apud *Regium* diſp. Log. tit. de Prædicament.

ANTI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0122
DFG

# ANTILOGIA II.

## DEUS est in Prædicamento: Et DEUS in Prædicamento non est.

Dist: I. inter *vocem Prædicamenti* sumptum 1. in *sensu abusivo* pro quavis rerum classe aptitudinem Prædicamenti sustinentium sive sit ordo conceptuum transcendentium sive mysticarum, sive deniq; vulgarium & creatarum. 2. *in sensu famoso* & sic nihil aliud est quam classis subjicibilium & Prædicabiliũ sub uno genere generalissimo quod est Substantia vel Accidens. Dist: II. inter τὸ *inesse prædicamento directè* quomodo in Prædicamentis ponuntur Genera, Species & Individua: & inter τὸ *inesse prædicamento reductivè* quæ à Prædicamentis quidem excluduntur, interim ob essentiæ defectum ad prædicamenta revocantur.

### Concl: 1. *DEUS est in Prædicamento si vox Prædicamenti sumatur in sensu abusivo.*

Patet quia res theologicæ quæ de DEO vel rebus divinis fiunt à Logico considerari possunt distinctim in ordine conceptuum divinorum repræsentandæ, cum enim in illis operatio Logica uti jam jam dicetur investigari possit, & in abusiva significatione vox Prædicamenti ad aptitudinem prædicandi mysticam traducatur utiq; hoc modo DEUS in Prædicamento esse abusivè dicendus erit. *Quod ergo res theologicæ* (de quibus maxime controversum est) *à Logico ὀργανικῶς expendi queant* patet quia *nulla datur repugnantia* in hisce, si enim aliqua daretur, fieret illa vel *ex parte Logicæ* vel *ex parte Theologiæ*. *Non ex parte Logicæ.* Hæc enim omnibus rebus media dispositionis tradere propria, exhibet [1.] *Subjecti Logici aptitudo*. Quod est considerare res omnes instrumentaliter cognoscendas Ergo & res theologicæ iisdē comprehenduntur. Quicquid enim dicitur de genere, de omnibus Speciebus æstimare licebit. [2.] *Finis Logici promptitudo* qui est veritatis cognitio; at hæc quia cum omnibus rebus est communis utiq; res theologicæ ab eodem haud erunt eliminandæ, siquidem tam latè patet usus Logicæ quàm latè patet finis hujusdem. Hinc quia Logica mentem nostram ad veritatis cognitionem ubiq; dirigit tanquam catholicum instrumen-

tum cognoscendi: utiq; eousq; progredietur ratio quousq; sese suis actibus in cognoscendo diffundit [3.] *instrumentorum Logicorũ habitudo*, quâ rectitudinem in functiones mentis circa quamvis materiam introducunt. In quodcunq; autem rectitudo potest introduci, in eo locum habet operatio Logicæ: quod enim nequit λογικῶς operari, nequit rectificari. *Non ex parte Theologiæ*, quia hujusdem res gaudent (1.) *potentiâ obedientiali*, qua notiones secundas induere possunt. Reperiri autem hanc potentiam obedientialem in iis patet id (a.) *ex loquendi necessitate* idq; partim 1. *propter egestatis imminentiam* quia in veritate sententiarum, connexionum veritas & judicium discretionis necessariò requiritur quæ ex propria disciplinæ sede sunt petenda, & secundum quam illa est dijudicanda, riteq; definienda, dividenda, concludenda, ordinanda etiam in iis quæ fidem concernunt, partim 2. *propter paritatis evidentiam*, Si enim res theologicæ notionibus Grammaticis & Rhetoricis investiri possunt, quî ergo Logicis erunt detrahendæ, cum illarum par sit ratio (b.) *ex docendi & intelligendi facilitate* Possunt namq; res theologicæ hujus beneficio methodicè & distinctius proponi, quæ alias confusè venirent proponendæ. At notum est qui bene distinguit, bene docet (c.) *ex refellendi commoditate*, qui enim Logicæ ignarus posset ad argumentum sibi propositum accuratè respondere ut vitium exhiberet sæpe in connexione & structura latentem. (2.) *consequentiâ infallibili*, eo quod una propositio legitimè deduci potest ex altera. At ubicunq; unius propositionis ex altera deductio intellectus beneficio fieri potest, ad id usus Logicæ se extendit, quippe cujus muneris est unum ex altero per bonam consequentiam deducere. Jam vero in ipsis fidei mysteriis ab intellectu una propositio ex alia legitimè deducitur v. g. Tres sunt personæ DEITATIS. Spiritus S. est persona &c. quæ licet in sacris literis non habeantur ἀυτολεξεὶ quà literam, habentur tamen in iisdem κατὰ διάνοιαν seu per bonam consequentiam.

## Concl: 2. *DEUS non est in Prædicamento famosè dicto, neq; directè neq; reductivè.*

Non 1. *directè*, probari id potest (1.) *à summâ essentiæ divinæ perfectione*. Siquidem quod est infinitæ perfectionis absolutè, illud in determi-

terminato genere determinatæ perfectionis includi nequit. Continet enim DEUS perfectionem Prædicamentorum, si non omnium formaliter, saltem eminenter. Quicquid autem prædicamenta eminenter includit illud in nullo determinato genere locum habet. (2.) *à requisitorum prædicamentalium exclusione* quæ hisce versiculis comprehenduntur:

*Vox una & simplex rebus concinna locandis*
*Entia per seſe, finita, realia tota.*

Ex quibus diluceſcit infinitatem excludi quæ ipſe DEUS eſt. Et Patet si DEUS cum rebus creatis in eodem foret prædicamento utiq; de illorum formalitate participaret. At non participat. Sic v. g. Generatio quando tribuitur DEO Patri, non eodem modo se habet quo attribuitur homini sed tota genere res est diversa; itaq; ne μετάβασις committatur εἰς ἀλλογένη, DEO formalis prædicamentorum ratio attribui non debet. (3.) *à speciali Prædicamentorum denegatione.* Si enim DEUS foret in Prædicamento, esset aut in *Prædicamento Substantiæ*, aut *in Prædicamento alicujus accidentis.* Non *in Prædicamento Substantiæ*, siquidem Substantia Prædicamentalis est quæ subſtat accidentibus & contrariorum est susceptiva, hæc autem est determinata non quidem ad infinitum per essentiam, sed ad finitum. Dicis, DEUM esse Substantiam eò quod per se subsistat. Resp. Aliud est Prædicamentum Substantiæ, aliud Substantia, Præterea aliud est esse *Substantiam Prædicamentalem*, quæ definitur per proprietatem Substandi: aliud est esse *Substantiam transcendentalem* quæ definitur per proprietatem Subsistendi. Hæc DEO attribuitur illa neutiquam. Non *in aliquo Accidentis prædicamento*, quia modus essendi accidentibus tribuitur qui fulcitur ab alio. At quicquid sustentatur ab alio id modum essendi imperfectum agnoscit. DEUS autem est Ens ἀυτάρχέστατον cui imperfectitudinem essendi attribuere absonum est. Non 2. *indirectè seu reductivè* quicquid enim à perfecta & completa ratione deficit, illud reducti è est in prædicamento. At DEO nullus attribui potest defectus, eò quod omnium rerum perfectibilitatem includat. 2. quicquid involvit imperfectionem de DEO enutiandum non est. At reductio entium ad Prædicamentum involvit imperfectionem

Quæ enim reducuntur, ob defectum reducuntur. Cum omnis reductio fiat ad perfectius. Atqui DEUS est ens perfectissimum. Ergo non est in aliquo Prædicamento.

## ANTILOGIA III.

### In DEUM cadit Accidens: Et in DEUM non cadit Accidens.

Dist: I. inter *Accidens* quod est vel *Prædicabile* vel *Prædicamentale* de qua divisione actum fuit disp. præcedente. Dist: II. inter *Accidens prædicabile* quod accipitur dupliciter, aliquando γενικῶς sumptum, æquipollet prædicationi paronymicæ quomodo *Acutissimus Dn. Schegkius* prædicationes quasdam inusitatas vocat per accidens personales: aliquando ἰδικῶς & usitatissimo modo denotat quintum prædicabile.

### Concl: I. *In DEUM cadit Accidens prædicabile γενικῶς sumptum.*

Patet quia Attributa divina quæ per modũ qualitatis de DEO concipiuntur, παρωνύμως prædicantur idq; per analogiam proportionis. Quod ut intelligas sciendum Attributa divina considerari posse ἀπλῶς ad intra, sic nullam omnino admittunt vel distinctionem vel divisionem siquidem ab essentiâ divina realiter non differunt; vel σχετικῶς ad extra quatenus considerantur per ordinem ad creaturas qua ratione extra rationem DEI quidditativam ob mentis nostræ imbecillitatem posita concipiuntur unde multis conceptibus inadæquatis utimur, eo quod uno mentis actu perfectionem DEI simplicissimam capere nequeamus sed eandem per quasi effecta consequi debeamus. Hinc etiam fit quod *Attributa divina non tantum termino concretivo, sed & abstractivo* v. g. DEUS est Sapientia, bonitas *prædicari queant*, idq; 1. *propter attributorum cum Essentiâ divinâ identitatem.* Cum enim à parte rei in DEO non distinguantur realiter fit ut eadẽ abstractivè de DEO enuntiari queant, siquidem ubi attributa realiter idem sunt cum essentiâ ibi etiam abstractivè enuntiari valent per prædicata. 2. *propter possessivam omnium bonorum largitatem & ubertatem.* Quicquid enim DEUS essentia-

essentialiter possidet, illud etiam ipsi taliter qualiter possidet attribuendum. Jam verò per essentiam & originaliter DEUS possidet bonitatem, sapientiam &c. Ergo etiam abstractivè enuntianda. Ratio est quia omnia quæ bona sunt in Creaturis ab ipso sunt participativè & per dependentiam.

## Concl: 2. *In DEUM non cadit Accidens Prædicamentale.*

Prob. idq; 1. *ob absurditatis consequentiam.* Si enim hoc Accidens in DEO daretur, illud ab essentiâ foret distinctum si non realiter saltem modaliter, dependebit igitur *Accidens* illud à causâ vel *intrinsecâ* vel *extrinsecâ*. *Non extrinsecâ* quia daretur aliquid in DEO quod non esset à se & absq; efficientiâ. *Non extrinsecâ* alias DEUS non esset DEUS quia hoc Accidens esset ab alio. 2. *ob divinæ perfectionis repugnantiam* quia accidentia (1.) *finaliter* ad hoc sunt destinata ut Substantiam in accidentibus perficerent. DEO autem tale perfectionis additamentum planè repugnat. Summe enim perfectum non admittit perficiens. (2.) *formaliter* denotant entitatem diminutam, seu debilem perfectionem quâ scilicet indigent aliquo se sustentante. At in DEO non datur aliquid quod sustentans sit & sustentatum. (3) *Virtualiter* à DEO possent separari. Quæcunq; autem separari possunt differunt realiter. In DEO autem tale quid non datur, siquidem quicquid est in DEO est ipse DEUS. Hinc *August:* tract. 20. in Johan: Consubstantiale DEO est quicquid Ejus est, & quicquid est. Item lib. 5. de Trin. c. 16. Nihil DEI naturæ accidit, nihil DEUS dicitur esse secundum Accidens. 3. *ob componibilitatis incompetentiam*, Etenim DEUM esse compositum ἀναμφιςβητήτως repugnat, involvit enim multiplicem imperfectionem, ut sunt (a.) *dependentia* quæ contigit partim *constitutivè* à partibus componentibus, partim *effectivè* à causâ producente, partim *cohæsivè* ab ordine partis unius ad aliam. (b.) *prioritatis resultantia* siquidem omne compositum suâ naturâ posterius est componente. (c.) *Passiva potentia* Quicquid enim compositum est, necessariò habet aliquid potentiæ admixtum. At potentia est nomen imperfectionis. Est enim DEUS sine ulla potentiâ actus purissimus itaq; DEO accommo-

commodari non debet. 4. *Ob incomprehensionis evidentiam* Si enim Accidentia darentur in DEO, fuerunt illa in DEO aut *ab æterno*, aut *in tempore*. *Non ab æterno* essent enim ipsius essentiæ aut *intimè inhærentia*, aut *æqualia*, aut *ab eadem inferiora*. Non *primum* quia Deus compositus foret ex Substantia & Accidente. at id blasphemum, quia accidens non potest rei convenire citra mutationem. DEUS autem est immutabilis. Præterea Accidens est diversæ essentiæ à suo subjecto. Nihil autem est in DEO quod sit diversæ à DEO essentiæ. Alioquin Deus non esset Unus nisi per accidens. Omne enim Accidens supervenit rei in esse suo constitutæ, ideoq; infert Unitatem Accidentalem & per accidens. Non *secundum* quia Deus per essentiam suam est Ens simplicissimum. At si Accidentia nihilominus in DEO forent, illa distinctam in DEO habebunt entitatem, & propter hanc alienam perfectionem. At perfectio hæc DEO nequit accedere quia perfectissimo addi nequit perfectius. DEUS enim additione perfectionis non est indigens. Non *Tertium* quia omne quod est inferius DEO est extra eum. *Non in tempore*, accesserunt enim illa accidentia DEO aut per creationem, aut per generationem; Utrumq; de DEO dicere nefas est.

## ANTILOGIA IV.

### Quantitas DEO assignari valet: Et Quantitas DEO assignari non valet.

Dist: I. inter *Quantitatem* quæ est vel *Virtutis* nihil aliud est quam intensio, & remissio virium, perfectio vel imperfectio Naturæ; vel *Molis* quâ Subjectum habet partes extensas in ordine ad locum aptitudinaliter, Estq; vel Continua vel discreta: *Continua* dividitur in Lineam, Superficiem & Corpus. *Discreta* est Numerus & juxta alios etiam Oratio. Dist: II. inter *Numerum* sumptum vel *Propriè* sic nihil aliud est, quam Quantitas discreta ex unitatibus collecta, vel *analogicè* per similitudinem cujusdam proportionabilitatis in comparatione; ibi numerus propriè suis subjectis domesticis applicatur, hèic ἀναλόγως Subjectis externis in quæ quantitas non cadit adaptatur.

Concl: I.

## Concl: 1. *Quantitas virtutis* DEO *assignari valet.*

Potest enim hæc DEO assignari 1. *Objectivè*, eo quod illa perfectio in immensum sese extendat dum eandem in hominibus multifariam exserit partim *universaliter* in omnes, partim *specialiter* in probos. 2. *Subjectivè* dum omnia effecta in se continet potestativè non quidem quà materialem inhabitandi possessionem sed quà liberalem agendi expressionem. 3. *intensivè*, dum in DEO eminens perfectionis exemplar est conspicuum. Quicquid enim perfectionis in rebus creatis deprehenditur id DEO per eminentiam tribuitur: Et quæcunq; secundum imperfectionem in Creaturis occurrunt & tamen DEO attribuuntur, secundum perfectissimam perfectionem de DEO prædicantur. Hinc *August.* lib. 6. de Trin. c. 7. Non mole magnus est DEUS, sed virtute.

## Concl: 2. *Quantitas molis* DEO *assignari non valet.*

Obstat enim 1. *Materiei immunitas* quicquid enim expers est materiæ, illud expers est Quantitatis, eò quod hæc immediatè insequatur materiam, & intrinsecus ei inhæreat. At DEUS Spiritus est immaterialis ab omni materiæ concretione liber. 2. *Extensionis inhabilitas*, Oritur enim extensio à materiâ, At in DEO materia non datur haberet enim corpus. At hoc absonum quia una species opposita non est alia. Nam omne oppositum re vera aliud est à suo opposito. Spiritus autem & Corpus sibi opponuntur, igitur cum de DEO enuntiatur quod sit Spiritus nequit de eodem dici quod sit Corpus. Unde quicquid non potest extendi illud quantitatis est expers, quandoquidem Quantitas est quâ Substantia denominatur extensa & divisibilis in partes extra partes. Jam DEUS nequit extendi uti probatum est. Ergo quantitas molis DEO assignari non valet. 3. *Corporis naturalis proprietas*. Competit enim hæc corporibus solùm naturalibus; Jam verò propria affectio corporis naturalis non potest esse vel fieri propria affectio Spiritus, siquidem affectio unius speciei non competit speciei oppositæ. Igitur si Quantitas hæc DEO competeret DEUS foret Ens creatum, quia

omne quantum terminis includitur, & omne terminis inclusum est determinatum, omne determinatum est finitum & circum scriptū, omne finitum est creatum; Si ergo Quantitas DEO foret attribuenda DEUS esset Ens creatum & increatū, adeoq; in DEO daretur esse & non-esse quod manifestam implicat contradictionē. At dicis in sacris DEUS aliquoties dicitur Magnus ut Psal. 145. v. 3. Job: 11. v. 8. &c. Resp. DEUS dicitur magnus (1.) non κυρίως sed ἀνθρωποπαθῶς. Nam quædam de DEO ἀνθρωποπαθῶς μὲν λέγονται, θεωρετικῶς δὲ νοοῦνται Regula est *Nazianzeni.* (2.) *non magnitudine corporeæ molis sed infinitæ virtutis.* (3.) non σωματικῶς καὶ σύνεκτῶς sed θεϊκῶς καὶ συνεκτικῶς non modo corporali, sed divino, non ut loco contentus, sed ut omnia continens ut loquitur *Acutiss. Dn. Christ. Matth.* colleg: 2. exerc. theol. th. 17. p. 132.

## Concl: 3. *DEO numerus competit non propriè sed analogicè.*

Dico per ὑστερολογίαν. 1. *analogicè* quia in DEITATE datur ordo non quidem dignitatis sed enumerationis. At in ordine involvitur numerus si non semper proprius, tamen analogicus. quia 2. Tres sunt Personæ DEITATIS. Ergo. DEO competit numerus. Ut enim de quantis increatis per analogiam affirmatur numerus, sic quoq; de non-quanto increato idem rectè prædicatur. patet id ex regula Damasceni l. 3. de fid. Orthodox. c. 8. ὁ ἀριθμὸς τῶν διαφερόντων ἐστι, καὶ ᾧ τρόπῳ διαφέρουσι τὰ διαφέροντα, τούτῳ τῷ τρόπῳ καὶ ἀριθμοῦνται. Hoc est: Numerus rerum differentium est, & quomodo illæ sunt differentes eo quoq; & modo numerantur. Non 2. *propriè* quia ubi datur unitas Arithmetica, ibi datur numerus, est enim illa principium numeri. Ubi autem numerus, ibi quantitas discreta, quia discretum esse specificè per numerum à quantitate continuâ distinguitur. At in DEO non datur 1. *Unitas Arithmetica* quia illa fundatur in toto continuo quod frangi potest, Non 2. *Quantitas discreta* quia 1. DEUS non mensuratur ab alio. In quo autem Quantitas discreta est, id ab alio mensurari necesse est. quia 2. ubi non datur ratio causativa quantitatis, ibi quoq; non est numerus. Atqui illa in DEO non datur. Ergo numerus propriè dictus

dictus Deo non competit. Consentit per omnia *Excell. Dn. Jacob: Mart: l. 2. de trib. Eloh. p. 120. & seq. item in prælect. extemp. in Syst. Kek. l. 1. s. 1. p. 137. ut & Part: met. l. 2. s. 8. q. 9. p. 922.*

## ANTILOGIA. V.

### Actio & Passio distincta constituunt Prædicamenta: Et Actio & Passio distincta Prædicamenta non constituunt.

Dist: I. inter *vocabulum Prædicamenti* quod accipitur vel pro iis rebus quæ inter se realiter differunt quomodo usurpatur apud *Paul. Venet.* 3. Met. c. 31. *Niph.* 4. Met. q. 1. & l. 5. q. 12. *Cajetan.* p. 1. q. 18. a. 1. *Dominic. de Flandria* 5. Met. 7. a. 2. citante *Dn. Weger.* juxta quos simpliciter valet: quæ differunt prædicamentis, differunt realiter. *vel* 2, pro rebus quæ à se invicem distinguuntur per diversos modos denominandi & afficiendi primam Substantiam. Sit ergò.

Concl: 1 *Actio & Passio distincta non constituunt Prædicamenta quà priorem vocis acceptionem.*

Etenim differunt illa duo non 1. *realiter* sic enim se habebunt vel *ut duæ res* vel ut *duo modi reales realiter distincti.* Non *ut duæ res* idq; (1.) *Ob Entitatis debilitatem.* Nam actio ex se propriam Entitatem non habet sed est duntaxat modus rei ob formalitatem suam, quæ consistit in dependentia effectus à suâ causâ. Ergò & Passio Entitatem propriam non habebit. Est enim ejusdem modi & ordinis cum actione, quandoquidem Passio est forma recepta cum connotatione agentis & passi: quibus terminis sublatis cessat Passio non per sublationem Entitatis alicujus, sed connatorum sine quibus passio non est passio. 2. *Ob effectus simultatem* est enim in actione & passione simul, sive spectes (1) *agendi modum* quia patiens requirit causam efficientem, à quâ proficiscatur actio, agens requirit Subjectum actionem in se receptibile, quorum alterum si deerit nullus dabitur Actionis & Passionis terminus (2.) *operandi motum.* Tota enim Entitas motus simul actionem & Passionem includit, eo quod faciat rem aliter se habere quàm anteà, *Active* quidem

dem dum fit ab agente, *Passivè* autem dum fit in patiente, quia igitur actio realiter est idem cum motu, erit utiq; etiam realiter idem cum passione, Quæcunq; enim sunt eadem uni tertio inter se sunt eadem. *Non ut duo modi reales realiter distincti*, quia modi reales ex se non habent distinctionem realem, sed juxta eas res distinguuntur quarum sunt modi. At verò Actio & Passio conjuncta sunt modi ejusdem rei scilicet motus aut Termini qui fit per motum. Ergò non possunt esse modi realiter distincti. Min. prob. quia passio nihil aliud est, quam ipsum τὸ fieri firmæ (quæ est formalis terminus actionis) prout recipitur in subjecto: sed τὸ fieri termini vel formæ nihil est aliud quam modus quidam ejusdem formæ seu termini. Ergo passio est modus ejus formæ cujus est actio. Sed 2. *formaliter* jacto in re fundamento. Quæcunq; diversas habent formalitates illa differunt ad minimum formaliter. Atqui Actio & Passio distinctas habent formalitates Ergo. Minor prob. quia alia est formalitas quando considero effectum ut fit ab agente: & alia quando eum considero ut fit in passo, quarum illa constituit Actionem hæc Passionem.

## Concl: 2. *Actio & Passio constituunt distincta Prædicamenta quà posteriorem vocis acceptionem.*

Patet quia ad distinctionem Prædicamentorum sufficit non tantum distinctio realis sed & rationis ratiocinatæ. Probo. Ubicunq; datur diversa formalis denominatio diversimodè Substantiam afficiens, illa sufficere potest ad prædicamentorum divisionem. Atqui in plerisq; prædicamentis datur tantùm diversa formalis denominatio Substantiam afficiens. Ergo. Min. prob. quia (1.) Quantitas & Figura sunt diversorum Prædicamentorum non tamen differunt realiter, quia (2.) Relatio à suo fundamento non differt realiter. At fundamentum relationis potest esse Substantia, Quantitas, Qualitas, nihilosecius ab his diversum constituit prædicamentum. quia (3.) Situs & Ubi realiter non differunt & tamen distincta sunt Prædicamenta. Cur ergò Actio & Passio distincta non constituent Prædicamenta, cum tamen differant formaliter uti antea est probatum. *Conf. Dn. Weg.* in quæst. Log. super Org. Arist. de Prædic. q. 7. item 15. & 16.

COROL-

# COROLLARIA.

*Num poßibile ſit Anſeres naſci ex Arboribus?*

Perveterata longo temporis tractu oborta eſt opinio Anſeres Scoticos in arboribus naſci ἀυτοψίας eandem roborans experimento. Quicquid ſit nos utī Anſeres iſtoſcè arboreos dari non negamus, ita vel maximè nonnullorum opinionem de eorundem ortu & origine improbamus, quod dum fiat trivium ſententiarum adducemus, iſtam approbantes quæ veritati vicinior apparebit. Ut verò probabilitatis evidentiam circa hoc problema venemur, taliter progrediamur: *Anſeres* illi *materiam generationis* agnoſcunt aut *ligneam*, aut *aqueam* aut *ab hùs planè ſpecificam*. Non *ligneam*, ortum enim illa traheret vel *ex ipſis lignis*, ſivè *quibuvis* ſivè *certis nominatim arboribus*, vel *ex quarundam arborum pomis*. Non (α.) *ex lignis quibuvis*, ſic enim in omnibus regionibus ex quavis materia lignea naſcerentur Anſeres, id quod communi contrariatur experientiæ. Non (β.) *ex certis quibusdam Arboribus*, quia nullum animal, nullum etiam animalculum quantumvis minimorum minimum aliter producitur quam ex cõitu, poſtquam vel ovulum vel ovulo aliquid ἀνάλογον & pariunt & in loca ſibi commoda viſa præſertim putreſcentia tanquam mollia & ſimul humida (ut & pabulis & nidis uſum præbeant illa) foventq; vel foveri ſinunt ut loquitur *Dn. Doct. Franzius* in Hiſtor. anim. p. 509. Non (γ.) *ex Arborũ quarundã pomis*, quæ ſi in mare decidant à mari elaborata anſeres fiant. Nam ita *forma Anſerum ſeminalis* aut *eſſet in ipſis pomis*; aut *in mari demùm eadem intraret. Si hoc* utiq; anſeres non ex pomis ſed è mari naſcuntur. *Si illud*, utiq; ubivis terræ ubi ex ejusmodi arboribus poma decíderent Anſeres naſcerentur; At id non compertũ, reperiuntur enim ſolùm in aqua. Non *aqueam*, quia ſic generarentur Anſeres aut ex materia marina aut fluviali. *Non marina*, ea enim ubiq; ſibi ſimilis eſt; at ubiq; anſeres illos prognaſci falſum eſt. *Non fluviali*, quia iſta in talibus fluviis peculiarem non obtinet naturam. Ergo oriuntur tandem *ex materia ſpecificè ſibi propria* quâ ex ſeminibus & ovis Anſerum in mari contentis animalia iſta naſci putamus. Compertum enim eſt talia ſemina in mari reperiri. Nunquam inquit Dn. Franzius cit loc. firmiter perſuaderi

suaderi potui Anseres ex arboribus nasci. Tandem incidi in Historiam navigationum Hollandicarum versus novam Chinam susceptarum ibiq; deprehendi ad Annum 1597. & quidem ad 11. Julij è regione Insulæ Crucis ab Hollandis reperta fuisse ova illorum Anserum, quos hactenus decepti credidimus nasci ex arboribus. Hactenus ille. Scribunt autem *Pena*, *Lobelius* & alij ista semina peculiari Concharum genere (quæ rotundæ sunt & albidæ) inclusa non tantùm in Scotia, Pomonia sed & Anglia ad Temsam reperiri, quæ in Conchis ad perfectionem redacta, utplurimùm Arborum ramis in aquam demersis adhæreant, ubi exclusa aviculæ conspiciuntur, quæ tractu temporis anatibus non absimiles videntur. Hinc est quod vulgò recepta sit ista sententia ipsâ ut loquuntur experientiâ firmata Anseres ex Arboribus pronasci. At vero uti non statim principium est quod quis tale esse comminiscitur, ita nec experientia semper est quæ titulo hoc superbit, fieri enim potest ait. *Dn. Danhavverus* in Idea B. Disp. sect. 1. p. 34. ut quibusdam requisitis omissis id demùm per experientiâ firmetur quod ipsa veritatis meridies cum omnibus ad sentiendum requisitis extra omnem aleæ jactum ponit.

*Cur Delphinus delectetur nomine Simonis?*

Veritatem hujus rei satis superq; confirmant Historiographi, inter quos est non solum *Plinius* sed & *Gyllius*, quorum posterior propriâ factum illud attestatur experientiâ, ita inquiens: Non est fabula quod Delphinus Simonis delectetur nomine: ipse enim expertus sum cum ad Antipolim urbem Provinciæ Narbonensis navigarem & Delphinum longinquo intervallo contentâ voce appellarem *Simonem* ad me propè accessit ut manibus attingere potuissem. Rationem verò illius rei quænam sit verissima multi solerti curâ venantur. *Alij* ob id Delphino rationem ascribunt, ita ut propter rationabilem cum homine conformitatem, eundem maximo prosequatur amore, unde alij occasionem sumpserunt ut Delphinos hominum fratres dixerint. Memorabilis ab *Æliano* refertur Historia, quam ipse ex *Jasio* refert sequentibus verbis: Gymnasio mari adjacenti, ubi pueri post exercitationes ad mare perveuientes se lavarent, ex ijs aliquem formosum Delphinus primò terruit,

fuit, post uterq; in alterius amorem se insinuans benevolentiâ est conjunctus, ita ut puer tanquam in equum equiso sic in Delphinum adscenderit, inq; eo ceu Amasia sederit; Delphinus autem puerum tàm longè in mari ac insidenti puero placuit, evexit, deinde ex alto rediens littori reddidit ubi multâ digressione hic in maris altitudinem ille in domum suam discessit. Porrò aliquandò Gymnasio iterum dimisso Delphinus ad excipiendum puerum præstò fuit: ibi cum nimium exercitatus, puer fessus se totum in vectorem suum conjecisset, non animadvertens spinam in dorso ejus erectam umbilicum sibi dilaceravit, ita ut venæ abruptæ sint multusq; sanguis effusus; quod Delphinus partim ex pondere sentiens, partim mare sanguine imbutum cernens superstes vivere noluit, sed cum defuncto in littus se ejecit, ubi ambo hic jam mortuus, ille animi defectione exspirans humi strati jacuerunt. *Alij* rationem hanc dant, quod rostrum Delphino sit simum, ut inde quasi naturâ hoc nomine delectetur. *Alij* inter quos est *Dn. Gesnerus* in sibilo causam investigant quo maximoperè eos delectare testis est *Belloniu*s, ita ut nautis sonum aliquem sibilumq; edentibus diutius circa naves immorentur, cumq; ad Naves accesserint sonitus evidens ex fistulis propter respirationem multo tempore suppressam audiatur. Verba Gesneri hæc sunt: Mihi videtur Delphinos nomen agnoscere *Simonis*, non tanquam rostri sui figuræ conveniens, sed quod & sibilum propter S. literam, & sonum altiorem propter O. exprimant, ita ut si quis magno clamore sensim id modulateq; proferat & procul audiant Delphini & non sine voluptate aliquâ. Cui posteriori sententiæ tanquam magis probabili nos quoq; suffragamur.

### *Quî fit quod nonnulli homines à Caseo, à Buthyro & aliis Cibis ac potu abhorreant?*

Causam hujus rei sitam arbitramur in Matris in fœtum impressione, quæ si ad cibos nonnullos nauseans, eosdem omnibus sensibus magno cum fastidio abominetur, qui affectus dum totum ferè corpus Parentis diversâ temperie immutat, insimul eum lactis instillatione in ventriculum fœtus transfundit, quò fit ut homo Matre tali prognatus certos cibos potusq; quos illa prægnans tùm, abomi-

abominata fuerat, averſetur. Huic confinis eſt quæſtio illa: *Cur nonnulli homines alioquin cordati præſentiam Felium etiam non viſorum animadvertentes ægrè ferant, ita ut ſi eodem Conclavi alicubi Cattus lateat, magnâ animi conſternatione & anxietate ad ſudorem usq; corripiantur?* Reſpondemus cum *Kcherm.* Curſ. phil. diſp. 16. id inde provenire, quod halitus quidam è Capite Felis emiſſus deferatur ad Cerebrum & cor ejus qui felem ferre non poteſt, quo halitu cor coarctatur & angitur propterea quia ex forti impreſſione imaginationis maternæ iſta affectio in corde remanſit, velut macula in corpore, quâ affectione fit ut iſtum halitum è corpore felis egreſſum planè averſetur, non ſecus ac odore certorum aromatum & herbarum ita afficitur cor mulierum ſæpè non-gravidarum, ut in animi deliquium prolabantur. Addo ego quod nonnulli homines ſubtilioris ſint temperamenti, qui halitus copioſè mucoſos per os & poros Cattorum emiſſos ſubolentes penitus exanimantur. Quin & generoſiores Equos ab aurigis tantoperè affici compertum ut ſi Feles in curru abſcondantur ſudorem quaſi anxiè emittant & currum vix aut ægrè protrahere valeant.

*Quî fit quod Milites vigiliis nocturnis in patenti campo Hoſtium facta exploraturi tympano piſa ſuperimponunt?*

Ratio hujus rei hæc eſt, quod ſonus pedum crepitu ac ſtrepitu excitatus ad Terram allidatur, à qua repercuſſus tractu continuato Tympanum adoritur, quod dum tremorem quendam ſentit ſimul piſa movet, ut vel hinc tutò Hoſtium vigilantia dijudicari eorumq; conatus ac hoſtilia machinamenta ultrà 30. ſtadia ut nonnulli volunt præſentiſci queant. Idem fit, ſi quis corpore proſtrato ſubindè aures humo admoverit qui aliàs erecto conſiſtens ſtatu ſonum non ita percipiet, eò quod ſonus magis magisq; elevatus paulatim diſſipetur, cum enim nil obſtaculi, quô refrangatur invenerit, demùm evaneſcit. Ex eodem fundamento facilè quis intelligere poterit; *Cur fragor tormento bellico explosus eminus percipiatur quam fragor tonitrualis?* Reſp. quam primùm fragor ex tonitru oboritur appellit aërem undiq; circumſtantem, qui deinde diſruptus debilitatur & ſenſim evaneſcit. Fragor autem è tormento explosus penès terram manet, ubi alliſus non facilè diſpergitur ſed facta ſimul motione detruditur velut lapillus ſecundum latitudinem aquæ injectus continuo curſu dilabitur.

# ANTILOGIA I.

## Postprædicamenta in Logicis tradenda sunt: Et Postprædicamenta in Logicis tradenda non sunt.

Disp. IX Respond. Christiano Kleipfen/ Regiomontano Prusso.

DIst: I. inter *Postprædicamenta*, quæ considerari possunt vel 1. in *Esse generico*, sic per illa nihil aliud intenditur, quam tractatio terminorum negativorum aptitudinem prædicandi negativam monstrantium. 2. *in esse specifico* quâ ratione Postprædicamenta proprietate vocis communiter accepta designant explicationem quarundam solummodò vocum in prædicamentis occurrentium. Dist: II. *inter tractationem Postprædicamentorum acroamaticam* quâ in Disciplina aliqua suâ naturâ examinari cupiunt; & *inter tractationem eorundem exotericam*, qua res contentæ non suâ naturâ, sed tantùm ratione vocum explicari desiderant in alijs Disciplinis. Dist: III. *inter intentionem Logicæ ut sic*, & inter *intentionē* Logicæ saltē *per accidens* sumptæ.

### Concl: 1. *Postprædicamenta quoad esse generi-cum spectata in Logica ut sic, tractatione a-croamaticâ sunt tradenda.*

Prob: 1. *à finis primarii intentione*, siquidem hi termini futuras propositiones negativè disponendas inprimis aptificare docent, data enim propositione in secunda mentis functione negativa, dandus est terminus istius operationis in parte prima, utpote cum hic actuum intellectus combinatorum sit fultura. 2. *à terminorum immediata oppositione*, data quippe termino affirmativè disponi apto, utiq; dabitur & terminus aptus negativè disponendus, quic-

quid enim est & prædicatur illud vel cum eo consentit & dicitur terminus affirmativus seu consentaneus; vel cum alio dissentit, quocunq; modo & vocatur terminus negativus seu dissentaneus. 3. *à Logicæ completa tractatione*, illius enim quia muneris est dirigere veritatem, nequit illa scopum veritatis sibi præfixum attingere, nisi concinno ordine cognitionem veritatis aut positivè promotam apprehenderit aut negativè promovendam indagaverit. Patet quia erroris vitium à Logica est curandum, hoc autem datur non tantùm in terminis consentaneis sed & dissentaneis. Proinde facilè hic judicium fieri poterit quod eorum tractatio in prima Logices parte sit instituenda. Cum enim prima pars terminos simplices explicare doceat & vero negativi incomplexionem & simplicitatem includant sequitur terminos istos in prima mentis operatione esse instituendos & quidem tùm post Prædicabilia tùm post Prædicamenta. Sunt enim termini negativi. At negativa affirmativis postponi debent, quandoquidem affirmatio negatione sit dignior & prior.

## Concl: 2. *Postprædicamenta quoad esse specificum considerata in Logica ut sic tractanda non sunt.*

Ratio est quia sic 1. doctrina Postprædicamentorum foret insufficiens, cum non omnia vocabula in prædicamentis occurrentia & explicationem indigentia proponat sed plurima omittat. Mentio fit in Prædicamentis de æqualitate inæqualitate, intensione & remissione, de paritate & imparitate, de simili & dissimili. &c. quæ tamen in Postprædicamentis pertractare est inconsuetum Conf. *Cl. M. Weger.* in pr. ment. oper: sect. 2. c. 21. p. 4. Erit ergo doctrina Postprædicamentorum aut perfecta aut imperfecta, non hoc. Ergo illud, ac proin' alium sibi finem habebunt præfixum principaliter. quia, 2. in Postprædicamentis ἀλλότρια immiscerentur, reperiuntur quippe voces postprædicamentales, quæ nullius prædicamenti naturam exprimunt. Ut v. autoribus quibusdam in contrarium euntibus suppetias feramus, distinguendus erit scopus Postprædicamentorum qui duplex est, alius primarius quem supra expressi-

pressimus: alius secundarius videlicet terminorum in Categorijs occurrentium explicatio. Et hunc usum spectando omitti possunt postprædicamenta ut censet *Scheibl.* c. 4. introd. n 9. & *Cornel: Mart:* l. 1. comm. c. 9. Faciunt enim ad meliorem saltem explicationem non peculiaris operationis logicæ constitutionem. vid: *Hinr. Nicol.* Gym: log. repet. Diat. 5. th. 6.

Concl. 3. *Postprædicamenta in Logica quoad intentionem tum propriam tùm accidentariam spectata minimè tradi possunt tractatione exotericâ.*

Hoc ut certum fiat distinguas inter modum diversum tractandi, & eundem sibi semper similem. Removemus Postprædicamenta ex Logica si considerentur ut nuda vocabula, vocabulorum enim nuda explicatio Grammaticorum & Lexicographorum est operatio. Et hoc solùm intendunt *Matthis.* com. in c. 7. categ. Ar. *Ram.* circa vocem Habere l. 4. Schol. Dial. c. 12. *Becman.* l. 1. compar: Log. c. 12. *Beurhus.* d. 3. Vind. pro Log. Ram. t. 105. Hoc ipso tamen nõ sequitur quod in Logica Postprædicamenta considerari nequeant. Etenim datur hic finis tractandi à Gramm: & Lexic: plane diversus videlicet veritatis cognitio, & futuræ propositionis negandæ conformatio. Et per hoc sistitur formalis operatio Postprædicamentorum utpote cum nulla Disciplina terminos ad futuram enunciationem præter Logicam aptificare doceat. Et cur quæso hoc ipsi denegandum erit, si enim quælibet Disciplinæ usum suarum vocum commonstrant, tenetur utiq; & Logica suos terminos ponderare quos formaliter alibi consideratos non videt.

## ANTILOGIA II.

### Disparata ab Oppositis distinguntur: Et Disparata ab Oppositis non distinguuntur.

Dist. 1. inter *Disparata* quæ sumuntur vel *latè* & generaliter pro quacunq; repugnantia vel *strictè* seu specialiter pro repugnantia tali, quâ unum multis opponitur eodem oppositionis genere.

Dist. II. inter *terminos dissentaneos* quorum alij sunt *absoluti*, qui simplicem dissensionem termini cum termino dicunt; alij *respectivi*, qui negativè prædicantur ob respectum specialem, quem cum alijs terminis habent. Dist: III. inter *Opposita latè & strictè* dicta eodem modo quo variant Disparata.

## Concl: 1. *Disparata generaliter sumpta, & prout sunt termini repugnantes absoluti ab Oppositis latè dictis non distinguuntur.*

Probat hoc ipsum 1. *Termini proprietas*, dicuntur Disparata quasi disseparata quod separatas habeant essentias. At hæc non tantum ad repugnantiam pluralitatis sed & repugnantiam dualitatis qualis est oppositionum, se se dimittit. 2. *Oppositionis qualitas*, Etenim Disparata aut sibi mutuò opponuntur aut non opponuntur. Non posterius. Ergo prius, idq; probatur quia ubicunq; datur repugnantia unius ad alia, ibi datur oppositio saltem latè dicta. At in Disparatis hoc evenit uti in concl: 2 probabitur. Ergo. 3. *Terminorum dissentaneorum divisibilitas*: Distinguuntur quippe termini dissentanei vel in absolutos vel in relatos. Jam vero Terminus absolutus citra divisionem mediatam acceptus sub se complectitur opposita quæ simul involvunt disparata, hæc enim Aristoteli sunt contraria latè dicta & ob id ad opposita revocanda eo quod in illis detur distantia vel sub genere eodem vel specie vel etiam sub conceptu maximè universali. Quod si enim contingat ut disparata inter se uniantur, aut concurrant in uno aliquo semper illa imitantur opposita, quarum species oppositæ cum de se invicem affirmatè prædicari nequeant, ita nec ista admittunt modum prædicandi affirmativum, sed tantum negativum quamdiu in abstractione manent, secus autem est quando de se invicem dicuntur *in concreto*: sic quia ignis & ferrum sunt separata quoad essentiam suam abstractam ideò commodè quis non dixerit: ferrum est ignis sed tamen quando uniuntur ignis & ferrum in uno supposito candente, tunc in concreto rectè dicitur ferrum est ignitum. Hîc quæritur: *An in Prædicationibus Personalibus Disparatum prædicetur de Disparato?* Fateor maximam circa hoc problema reperiri Philosophantium pugnam

pugnam, ita ut cuinam parti suffragari debeam ferè dubitem, ne tamen plane ἄλογ@ videar, ajo, quod *Deus* & *Homo* duplici modo à Theologis considerari queat, vel ratione φύσεως, vel ratione ὑποστάσεως; *illo modo*, quando Naturæ attenduntur in se & suâ essentiâ non quatenus unitæ sunt, quo respectu verè disparata sunt. *Hoc verò modo* quando attenduntur & quidem tanquam Naturæ unitæ revera inter se conveniunt & consentiunt ut in omnem æternitatem separari nequeant, in tali unione nudè manendo disparata dici non debent. Hinc est quod B. Dn. *Meisnerus* in Magno Pietatis Myster. th. 83. dicat: Deus & homo quia ratione sui naturæ sunt disparatissimæ, quæ de seinvicem prædicari in æternum nequeunt, nisi uniantur & conveniant in unũ & idem quod fit utrumq;. Quod si vero vestigia *Clar. D. Doctorũ Jacobi Martini* legere volueris liberum tibi relinquo. Ita autem ille in Disp. theol. Disp. 14. de communic. Person. & natur. in Chr. th. 113. & 11. discurrit: Distinguendum est inter Disparata φαινόμενα, & inter Disparata κατ' ἀλήθειαν. Sunt Deus & Homo disparata φαινόμενα. Nam si *naturali intellectu*, qui extrinsecus à Deo eruditus non est, percipias duas illas voces in hisce prædicationibus. Deus est Homo, Homo est Deus aliter judicare non potes, quam disparatas illas esse; Sin verò illas perpendas *intellectu divinitùs informato* prout in oppositionibus quas constituunt unitatem personalem explicant, statim intelligis quod κατ' ἀλήθειαν disparata non sint. Nã disparata sunt, quæ planè sunt disseparata & nullo communione reali conveniunt: Verum tali modo se non habent *Homo & Deus*, quandoquidem unum sunt in Persona nempe, quæ ut quoddam ἕνωσιον intervenit; ideoq; tàm arctè uniuntur, ut in omnem æternitatem nulla disseparatio instituit queat; & ut rem paucis comprehendamus, duo disparata in rationalibus sunt duo personaliter distincta. Si igitur reverà in hisce propositionibus duo essent disparata, duæ utiq; essent personæ, quæ de se mutuò affirmari sâlvâ veritate nullo modo possent.

## Concl: 2. *Disparata specialiter accepta ab oppositis strictè dictis omninò distinguuntur.*

Ratio est: quæcunq; in formalitate sua diversas includunt conditio-

ditiones easq; sibi oppositas illa sub eadem specie conjungenda non sunt. At vero Disparata & opposita in formalitate sua diversas easq; sibi oppositas conditiones includunt. Ergo. Minor prob: ex conditionibus 1. *Disparatorum*, ad quæ requiritur (1.) *Ut unum opponatur multis*, siquidem unum disparatorum multis ex æquo & formaliter eodem modo repugnat (2.) *Ut unum multis opponatur pariter* h. e. eodem repugnantiæ genere, nam diverso repugnantiæ genere non repugnat etiam opposita multis opponi. Si igitur quando unum multis opponitur, sed tamen non pariter tunc ad ista omnia disparatum non datur 2. *Oppositorum*, quæ sunt tria potissimum; 1. *Unius ad unum oppositio*, quæ fieri debet eodem repugnandi modo 2. *Oppositionis identificatio*, quæ debet esse [a.] *Suppositiva*, ut idem notetur suppositum, [b.] *objectiva*, ut ad idem objectum respiciat [c.] *Determinativa*, quæ requirit determinationem identificam tùm *partialem*, ut servetur respectus ad eandem partem; tùm *modalem*, ut servetur respectus ad eundem modum, tùm *gradualem*, ut servetur respectus ad eundem gradum rei intensum. [d.] *Adjunctiva*, ut opposita respectu ejusdem loci & temporis sumantur. 3. *Identificationū ordinatio*, quæ exigit partim *Incomplexionis veritatem* ut unum uni opponatur tanquam incomplexum incomplexo; partim *Significationū unitatem*, ut quæ opponantur sint ad unam significationem ordinata. Ex his videre licet, Disparata cum oppositis strictè dictis non identificari ob diversa attributa & proprietates. At quorum proprietates inter se invicem differunt illa ipsa differunt. Attributorum enim diversorum apparatus, diversæ essentiæ & quidditatis est status.

## ANTILOGIA III.

### A privatione ad habitum non datur regressus: Et à privatione ad habitum datur regressus.

Dist: I. inter *privationem* aut *totalem* & perfectam, quæ cum actu simul omnem δύναμιν sive potentiam tollit; aut *partialem* quæ tollit tantùm ἐνέργειαν & actum secundum saltem ad tempus impedit. Dist: II. inter *regressum* qui est vel *ad idem numero*, cum id quod

quod fuit amissum postea idem numero redit 2. *ad idem specie* quomodo regressus alius est *immediatus* cum ἐμμέσως ad id quod deperditum erat datur regressus, alius *Mediatus*, quando interjectis quibusdam mutationibus, id quod perierat revertitur. Dist: III. inter *regressum ordinarium* & naturalem qui possibilis est per naturam: & inter *regressum extraordinarium* supernaturalem qui possibilis est per potentiam divinam.

## Concl: 1. *A privatione & totali & partiali ad habitum, regressus ad idem numero: à privatione item totali si sit regressus ad idem specie, immediatus modo ordinario, minimè datur.*

Non 1. *à privatione totali si sit progressus ad idem specie immediatus.* Ubicunq; reperitur mera habitus ἀπουσία cum subjecti destructione ibi regressus modo ordinario ad idem numero, non datur. At in privatione totali reperitur mera habitus ἀπουσία cum subjecti destructione Ergo. Minor prob. Actus positivus per privationem totaliter sublatus non regreditur nisi per exsuscitationē causæ efficientis, at quia in via naturali præter naturam naturatam nulla alia reperitur causa, sequitur illam huic operi esse præficiendam. Verùm ista non est sufficiens est enim perfectionis limitatæ, quæ ditionem suæ essentiæ non excedit. Negatis autem causis sufficientibus res esse non potest: Sic qui amisit potentiam videndi naturaliter eam non recuperabit, aliàs ex naturæ facultate immediatè fieri potest ex cæco videns, ex surdo audiens, ex cadavere homo. Non 2. *à privatione & totali & partiali si sit regressus ad idem numero prob: prius.* Si per naturam id nequit restitui, quod minorem requirit potentiam operandi utiq; non restituetur & id quod majorem exigit efficaciam. At verum est prius sc: regressum ad idem specie non dari uti probatum fuit. Ergo & posterius, & hoc modo intelligenda veniunt axiomata Arist: tit: categ De oppos: c. 10. §. 29. ἀπὸ μὲν τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν στέρησιν γίνεται μεταβολὴ: ἀπὸ δὲ τῆς στερήσεως ἐπὶ τὴν ἕξιν ἀδύνατον. *Posterius patet* in quibus actibus

prior

prior non est numero idem cum posteriori, ibi regressus idem numero dari nequit. At in privatione partiali dantur duo actus antecedens seu positivus & consequens seu privativus Ergo. Probari hoc Tolet. conatur sequenti exemplo. Quando dormiens expergiscitur & non videnti actu fit videns actu, actus ille videndi non est numero idem cum illo quod videbat somnum. Verùm num is sufficiat maximè adhuc dubitari potest.

Concl: 2. *A privatione totali dari potest regressus & ordinarius si sit ad idem specie mediatus, & extraordinarius per miraculum.*

*Primùm patet.* quæcunq; mutuam habent mutationem, illa in materiam redeant oportet, cum omnis regressio ad illam tendat. Sic ex cadavere potest redire animal in quantum cadaver putrescit & in terram vertitur, ex terra ista generantur germina, quibus si bos vescatur, generatur, ex iis sanguis & semen ex quibus generatur animal. vid. Arist. l. 8. Met. *Alterum prob:* quia virtute primi agentis modo supernaturali dabitur mortuorum resurrectio. Nulla enim est contradictio ait *Excell: Dn. D. Calov.* Met. div. p. 163. corpus quod perit idem numero redire. Termini isti non tollunt sese mutuò Interire & de novo redire idq; salvâ identitate numericâ, cũ neq; per obitum corpora simpliciter annihilentur, neq; per reditum nova creentur. Sanè naturæ decretum est, *quod semel interiit, idem numero nunquam redit* quia rationi videtur ἀνπφατικὸν. Verùm Deus etiam impossibilia naturæ facere potest, uti datur indicium apud Es c. 26. v. 19. יְחִיוּ מֵתֶיךָ נִבְלָתִי יְקוּמוּן. *Dixi autem in Concl. modo extraordinario per miraculum.* Duplex enim Dei datur *potest ordinaria & extraordinaria*, Multa enim Deus potest quæ ordinariè non facit. Sic quandocunq; Materiam combustibilẽ igni admoveris, non potest non Deus concurrere ad comburendum, quia poscit illud communis ordinariaq; naturæ lex. Attamen extraordinariè potest Deus præpotentissimus concursum illum inhibere, (Causa enim prima ad secundas non est alligata) ut olim in fornace Babylonico fecit, cum ignis vehementia Sanctorum virorum corpora lædere non posset. Dignum est memorâ *Augustinianum*

*nianum dictum* l. 26. *contr. Faustum* c. 3. Divina virtus nequaquam causarum secundarum ordini subjecta est, sed ei potius talis ordo subditur, ut qui à Deo procedat, non necessitate naturæ sed arbitrio voluntatis. Potuisset enim Deus præscribere alium rerum ordinem: unde & præter hunc ab ipso constitutum agere potest, cum voluerit producendo videlicet se solo, tàm effecta secundorum agentium, quàm alia, ad quod res creatæ pertingere non possunt. Brevius *Scal. ex.* 307. *s.* 20. Omne inquit dependens ab eo, à quo dependet, si est voluntarium principium mutari potest.

## ANTILOGIA IV.

### Contraria non possunt esse simul in eodem subjecto: Et Contraria possunt simul esse in eodem subjecto.

Dist: I. inter *Contraria* quæ definitivè considerata nihil aliud sunt quam quæ sub eodem genere posita maximè distant & se positivè ab eodem subjecto mutuo pellunt, nisi alterum eorum fuerit insitum à natura, & considerari possunt, 1. *in gradibus remißis* 2. *in gradibus intensis.* 3. *in gradibus* quorum alter est intensus alter remissus. Dist: II. inter *Contraria* quæ sunt in subjecto vel *per naturam* vel *per potentiam Dei absolutam*.

### Concl. 1. *Contraria in gradibus remißis secundum naturam: in gradibus autem intensis, vel quorum unum maxime est intensum alterum verò remissum: simul in uno subjecto per potentiam absolutam inesse possunt.*

*Patet prius.* In quocunq; subjecto dari possunt termini naturaliter in contrarietate non incompossibiles, seq; invicem non tollentes ibi contraria eidem per naturam inesse possunt. At in subjecto contrarietatis receptibili ac capaci dari possunt termini naturaliter in contrarietate non incompossibiles seq; invicem haud tollentes. Ergo. Min: prob: quia calor 4. grad. & frigus in 4. simul in uno subjecto quod est aqua concurrere possunt per naturam quan-

do sc: est accuratè tepida, imò sufficit si una qualitas remissa sit infrà quartum gradum, cum eâ enim potest contraria intensa simul consistere. *Patet posterius*: Quicquid non implicat contradictionem illud potentiæ divinæ denegandum non est, Contraria in gradibus intensis simul esse in uno subjecto contradictionem non involvunt, Ergo. Minor. prob. quia id tantùm implicat contradictionem quod facit rem simul esse & non esse. Atqui admissio contrariorum in gradibus intensis non facit rem simul esse & non esse. Ergo. Assumptum prob. Contraria summè intensa non aliter sese pellunt, nisi quatenus in se invicem agunt. Atqui contraria illa possunt in se invicem non agere, Deo scilicet concursum ut agant necessarium subtrahente. Ergo non possunt se mutuò non expellere sed in eodem subjecto pacificè manere. Hinc *Suarez* disp: Met. 65. s. 4. n. 16. unum contrariorum non habet immediatam & formalem oppositionem negativam cum alio, sed ea infert mediatè quantum effectus unius naturaliter est incompassibilis cum effectu alterius, quam incompassibilitatem potest Deus impedire & simul conjungere utrumq; effectum positivum in eodem subjecto ita ut in re sit simul caidum ut 8. & frigidum ut 8. Consentit *Petrus de palude* lib. 3. sent. dist. 15. q. 2. *Carol. Franc. d' Abra de Racon.* Tract. 2. de categ. s. 1. de oppo: art. 3. p. 107. Contrariatur *Capreol.* 1. dist: 47. q:2. *Javell.* 10 Met. q. 3.

## Concl: 2 *Contraria in gradibus intensis: vel quorum unum maximè est intensum, alterum remissum simul in eodem subjecto numerico per naturam inesse non possunt.*

Prob. Ubicunq; datur *expulsio formalis*, ubi una forma in subjecto producta seipso aliam excludit, & effectus formalis unius formæ repugnat in eodem subjecto cum effectu formali alterius formæ, ibi contrarietas naturaliter inesse non potest. At in subjecto contrarietatis capaci datur expulsio formalis &c. Ergo. Min. prob. quælibet enim forma intensa denominat absolutè subjectum in quo est, sicut ab excellenti seu intenso calore aqua dicitur calida & ab excellenti frigore dicitur frigida. Si ergo duo contraria intensa essent

essent in uno subjecto, denominarent illud absolutè h. e. contraria absolutè affirmarentur simul de eodem. At idem de eodem simul affirmari & negari repugnat. Dixi verò in majori propositione *expulsio formalis* quo ipso removeo *expulsionem effectivam* cum unum accidens agendo in aliud, illud ejicit, quæ repugnantia non in quovis contrario locum habet cum omnes qualitatis contrariæ non sint activæ.

## ANTILOGIA V.

### Impossibile est duo Contradictoria simul esse & non esse: Et non impossibile est duo contradictoria simul esse & non esse.

Dist: I. inter *Contradictoria* quæ sunt vel ἀληθεια seu *vera*, quarum una pars semper est vera altera semper falsa & impossibilis nulloq; modo vero consentanea potest effici. Nam τὸ ἁπλῶς ὅτι καπά τι, ὅτι πῃ, ὅτι ποτὲ ἐνδέχεται Ar. l. 2. Top. c. ult. t. 4. h. e. *simpliciter impossibile nullo respectu fit possibile*; vel φαινόμενα seu *apparentia*, quæ revera contradicentia non sunt sed simul apparenter consistere possunt.

### Concl: 1. *Impossibile est duo contradictoria vera simul esse & non esse.*

Patet hoc ex *requisitis veræ contradictionis* quæ sunt 1. τὸ αὐτὸ ut subjectum & prædicatum sit idem 2. καπὰ τὸ αὐτὸ ut fiat secundum eandem subjecti partem. 3. πρὸς τὸ αὐτὸ, ut contradictio fiat secundum eundem respectum. 4. ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ h. e. eodem tempore. confer. ea quæ dicta sunt in Antil. 2. hujus disp. conclu: 2. Ex quibus ita argumentamur. Quæcunq; membra oppositiva omnium oppositorum sunt 1. prima, 2. maxima. 3. fortissima illa simul consistere non possunt. Atqui membra oppositiva contradictoriorum sunt omnium oppositorum prima, maxima & fortissima. Ergo. Major probatur: Si enim opposita minora consentire est impossibile, multò magis majora consentire erit impossibile.

Siquidem unius oppositi firmior affirmatio, alterius firmior est negationis illatio. Min prob: quoad singula membra. I. *Contradictio oppositorum est prima*, intellige non ratione doctrinæ sed ratione dignitatis quia omnium est perfectissima: nam ut ente nihil est prius, sic etiam hac oppositione nulla prior, ita ut cætera opposita ab hac quasi pendeant. II. *Contradictio omnium oppositorum est maxima*, quia [1.] *major oppositionis est elongatio*, siquidem incompossibilitas in eodem subjecto nullibi reperitur major. Quia [2.] *major est immediatio* quâ medium nec capax nec incapax habent, quandoquidem inter ens & non ens nullum datur medium. III. *Contradictio omnium oppositorum est fortissima* eò quod repugnantia hîc unius contra aliud est firmissima. Præterea si contradicentia possent simul esse vera, ad quid (1.) Theologi desudant in conciliandis iis scripturæ textibus qui sibi invicem videntur repugnari (2.) nihil agunt dum in disputationibus inter alia etiam hoc telo contra adversarios utuntur, quod ostendunt, non solùm unum alteri sed eundem sibi ipsi contradicere, imo hoc vel illud eorum dogma seipsos contradictionis gladio jugulare, imo (3.) è medio tolleretur omnis disputatio ut quæ inter contradictoria versatur, eoq; unicè nititur, quod una contradictionis pars vera sit altera falsa. (4.) admittendæ erunt sine discrimine hæreses, & quævis fanatica dogmata si admittetur contradictoria posse esse simul vera. Hinc fit, quod Contradictio neq; potentiæ divinæ subjici queat idq; propterea quia [a.] objectum divinæ potentiæ dicente Augustino, non est non-Ens sed Ens. Principiũ enim & principiatũ debent esse homogenea. Ergò non-Ens sub potentiam divinam non cadit. Quia igitur altera contradictionis pars non-Ens officit Enti, sequitur quod potentia divina illam veram non faciat quippe ad quam non pertinet non-Ens. Hoc enim cum Deo qui est ὑπερέσιος ὑπερεσίως ἔχον τὸ ὑπερέσιον ens omnia entia superimenens & super ipsũ esse Ens; nullam prorsus obtinet analogiam. quia [b.] Deus cum sit causa quæ omnis privationis & imperfectionis est expers contradictoria facere non potest eò quod causa maximè positiva non nisi positivum producat effectum, qualis enim est actio, talis quoq; actionis illius est terminus, cum impossibile sit actionem positivam

ad

ad non esse per se & directè tendere posse. Ea ergò quæ contradictionem involvunt congruentius ipsa dicuntur ex se talia esse, ut non possint fieri, quam non posse Deum illa facere. Sanè ut nemo imbecillem aspectum vocat qui sonos non audit, nec infirmum auditum ut ait *Hugo Victorius* qui colores non videt, cum hæc non pertineant ad ejusmodi facultatum objecta: ita nec Divina potentia debilis censenda est quod simpliciter impossibilia & contradictionem implicantia præstare nequeat: cum hæc sint extra terminos atq; objecta executricis potentiæ. Deus illa talia non facit, non quidem propter divinæ virtutis deficientiam sed propter rei ipsius repugnantiam. Summa. Potest quidē Deus impossibilia naturæ non autem impossibilia naturâ. quia [c] contradictoria Deo qui tribuit, ei mendacium affingit, siquidem contradictoriorum semper alterum est falsum. Falsitatem autem Deo tribuere blasphemum est; Unde patet absurditas *Christiani Israelitæ* in libell: fam. assert. 3. contr. Graw. dicentis, illud axioma neminem verum Christianum posse agnoscere. cit. *Dn. Dan Sthal.* tit 1. Reg. Philos: p. 4.

## Concl: 2. *Non impoßibile eſt duo contradictoria apparentia eſſe ſimul vera.*

Patet quia in illis termini non attribuuntur eidem, secundum idem, ad idem, eodem tempore, at ubi hæc non sunt contradictoria non sunt vera sed apparentia quæ diversa ratione sumpta simul stare possunt. Unde quam frivolum Calviniſtarum sit argumentum quod crebrò ingeminare solent (Unum idemq; corpus naturale non potest esse simul & semel in pluribus locis. Atqui Christi corpus est verum & naturale corpus. Ergo) facilè apparet, quia (a.) datur ibi contradictio non vera sed duntaxat apparens, cum hic Ens Enti non opponatur sed subordinetur. Nam in uno loco esse præsens naturaliter & omnipræsens esse unionis gratiâ non habent se ut Ens & non-Ens sed ut subordinata. Etenim *Corpus Christi* dupliciter consideratur 1. *quoad actum naturalem* h. e. secundum essentiam & essentiales corporis proprietates. 2 *quoad actum personalem* h. e. quatenus in persona filij Dei subsistit. Quare utrumq; verum est: Corpus Christi est verum & naturale corpus (sc: secundum actum naturalem) & idem Corpus Christi est ubiq; (sc: se-

cundum actum personalem idq; absq; verâ contradictione de quo vid. *Præcellentiss. Dn. D. Christian. Matthiæ* Syst. Log. theor: & pract. l. 1. c. 15. p. 201. & 202. quia (b.) Possibilitatis assertio quando in Scriptura continetur, eidem ratio per modum impossibilitatis non reluctetur; nam simplex alicujus propositionis affirmatio per Scripturam & Naturam ejusdem eruatur abstractio, indeq; quia illa propositio tantùm desumpta est à Natura, maximè erratur, cum à plurium specierum attributione ad genus universaliter sumptum non valeat consequentia, eò quod Natura terminorum non est judicanda ex conditione Creaturarũ sed ex conceptu universali. quia (c.) Propositio ubi per Naturam dubia redditur primariò Scripturæ probatione si haberi queat perficitur. Exemplo res fiet clarior. *Quæritur utrum Propria possint communicari?* Ubi multi Philosophorum affirmant, multi negant cui ergò parti hîc erit insequendum? Sanè illi parti quæ philosophatur duce Naturâ, luce Scripturâ uti paulò ante dictum. Taliter ergò erit concludendum. *Virtus vivificandi, quæ divinæ Naturæ est idioma, communicatur Humanæ Naturæ in Christo asserente Scripturâ. Ergo proprietates possunt communicari.* Non verò ita: *Propria non possunt communicari. Ergo virtus vivificandi non est communicata humanitati Christi.* Eodem modo se res habet cum effato citato Calvinistico. Dicunt illi: N. Corpus potest esse ubiq;; Corpus Christi est verum corpus. Ergo non potest esse ubiq;. At contra Philosophus Christianus ita arguat necesse est: Corpus Christi est ubiq; teste Scriptura. Corpus Christi est verum corpus. Ergo quoddam verum corpus potest esse ubiq;. Conf. *Kesler.* Log. Phot. exam. sect. post. m. p. 23. & 24. Ut autem innotescat quomodo caussæ ex quibus ἀνπλογίαι nascantur discuti queant, cape sequentia, ceu sunt [1.] *Rerum ignoratio*, quæ si ob peculiares & singulares quasdam ἐμφάσεις quibus scripta referta probè & accuratè attendantur: & obscuritas in verbis & contrarietas in sensu perfacilè colligitur. [2.] *Vocum æquivocatio* hæc enim quia mater est errorum sedulò vitanda. [3.] *antecedentium & consequentium negligens collatio*, si enim series illa concatenata susq; deq; habeatur nil aliud oritur quam perpetua contradictio [4.] *perfunctoria circumstantiarum consideratio*, qui enim non curat 1. *personas*, quæ loquuntur,

quuntur, vel de quibus, vel ad quas fit sermo. 2. *locum* qui intelligitur 3. *tempus* quo unumquodq; contigit. 4. *modum*, quo hoc vel illud accipiendum. 5. *scopum* qui singulis locutionibus & actionibus est præfixus, de illo mirum non est si in contradictionum labyrinthum incidat. Quibus additur [5.] *Humanæ rationis deliratio* quanda ea dijudicare vult quæ sunt spiritus. 1. Cor. 2. 14. uti habet *D. Michael Walther*. Harm. Bibl: libell. prior. c. 2 §. 14. 15. & seq: m. p. 20. 21. 22.

## ADDITAMENTA.

### *An Iris Causas habeat naturales?*

Scitè ac peritè dixit Princeps ille Philosophorum Aristoteles l. 1. Met. c. 2. Δια τὸ θαυμάζειν οἱ Ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν: *Propter admirationem & nunc & primo inceperunt homines philosophari.* Etenim cum omnibus hominibus insitum sit cognoscendi multa desiderium; illud ignoratis causis mancum est ac imperfectum, ut ergò illud sedari queat, causas ignorationis excutere oportet, quas uti in omnibus rebus, ita etiam in physicis circa Iridem, arcum illum in decore speciosum enucleare ac indagare tentabimus. Sunt autem illæ, *Efficiens*, *Materia*, *Forma*, *Finis*. *Efficiens* sunt *radij* Solis aut Lunæ, quorum non solùm reflexus sed & refractus maximè est necessarius. *Reflexus* quidem ideo, quod radius lumen Solis ad nos ab Iride deferens radiet in oculum à Sole aversum, qui ob id non potest non esse reflexus. *Refractus* autem propterea requiritur, quia hîc dantur diversa media, radius enim primò transit per aërem, pòst offendit nubem roridam, quæ ab aêre ob diaphaneitatem est diversa, hinc cum eam ingreditur, refrangitur, cum verò egreditur ab interiori nubis roridæ parte reflectitur. Ubi enim dantur diversa media, ibi radiorum præter perpendicularem sine refractione non datur recipiendi potentia. *Materia in qua* seu Subjectum (materia ex quâ strictè talis non datur) est *Nubes*, quæ de necessitate non quidem est *Concava* ut vult Aristoteles ejusq; Pedissequæ, sed *Rorida visui & Soli opposita.* Non 1. necessariò *Concava*, idq; (1.) *ob Atomorum disquiparantiam*, quarum aliæ sunt calidiores, aliæ frigidiores, aliæ humidiores, aliæ insigniter

ſigniter temperatæ, unde talis concavitas ſperari haud poteſt. Nam ubi non eſt æqualis materiæ conditio, ibi ſpecularis materiæ non datur repræſentatio, ſiquidem negatâ causâ negatur effectus. (2.) *ob motus ventorum violentiam*, qui nubem concavam ad diuturni temporis moram in ſtatu ſuo quieſcere non permittit, ſed eandem interturbare pergit. (3.) *ob ſimilem in aliis rebus experientiam*, ſi quis enim occipite Soli obverſo ex ore minutiores guttulas in aërem Solis præſentiâ illuſtratum projecerit, Iris planè, ullâ ſine nubeculæ illius concavitate repræſentabitur, id quod etiam in fiſtula aliquâ, ſi aquæ per exiguum foramen elidatur & contra Solem ſpargatur, experiri licet, itemq; in pluribus aliis. Hoc ipſo autem non nego Nubem Concavam Iridi repugnare, ſed ejuſdem ſummam neceſſitatem ad Iridis generationem non requiri, datis rationibus volui indigitare. Sed 2. *Rorida*, quæ ſit oportet quaſi medium quoddam inter Nubem nimis ſubtilem ac nimis craſſam, id quod monſtrat veſpertino tempore Ros primum elevatus, in quo Iridis partes inferiores Sole tamen à tergo conſtituto conſpicamur. Hinc removemus *Nubem* tùm *nimiâ ſubtilitate donatam*, quæ generationem Iridis inſenſibiliter procreando oculorum obtutui non ſatisfacit; 2. quod vel unicè aër vaporoſus demonſtrare valet, quem quidem radij ſolares penetrant, Iridem tamen non cauſant: tùm *nimiâ ſpiſſitudine condenſatam*, hæc enim lucem corporatam nobis removet, atq; ita ſpecularem naturam repræſentare non poteſt. Sed 3. *Viſui & Soli ſit oppoſita*. Etenim cum Iris ſub ſpeculari ratione nobis appareat, imitabitur quoq; naturam Speculorum, quæ ſi objectum quoddam illapſum viſui præſentent, poſitum viſui & objecto ipſi oppoſitum requirunt, ita tamen ut incidentiæ & reflexionis anguli ſint æquales. *Forma* Iridis interna nulla datur, externa eſt arcus verſicolor in omni Mundi plaga præter Auſtralem apparens. Tria ergò heîc notanda ſunt [1.] *Arcus incurvatio* cujus cauſam alij aliam aſſignant; nos ita procedimus: *Cauſa incurvationis* in Iride ſita eſt aut in *Nubis concavitate*; aut in *Nubü in circulum extenſibilitate*; aut in *angulorum incidentiæ & reflexionis æqualitate*. Non 1. *in Nubis Concavitate*, hæc enim cum ſuprà evictum ſit eam de neceſſitate ad Iridis generationem non requiri, utiq; nec ad arcus incurvationem

nem

nem non requiri, utiq; nec ad arcus incurvationem quidquam faciet, utpotè cum omnis effectus dependeat à suâ Causâ, quæ si actu non adfuerit, neq; effectus existere poterit. Non 2. *in Nubis ad modum circuli extensibilitate*, obstat enim (α.) *Iridis commutatus*, quæ eodem tempore à diversis diversimodè videtur juxta illud:

*Si fugio sequitur, sed me fugit illa sequentem,*
*Res varia & mira est dic mihi quæso quid est?*

At hoc juxta extensionem circuli non contingeret. (β.) *Materiæ quoad integrum circulum apparatus*, fieri enim potest, ut nubes rorida totalem circulũ efformando, Iridem in Terra totaliter conspiceremur, quod tamen non evenit. (γ.) *Experimenti comitatus*. Si enim halitum ore compresso in aërem effuderis parte Solis aversâ, ibi integra area absq; circuli cujusdam diffusione completur, cum tamen Iris circularis in eadem efformetur. Sed 3. *in Angulorum incidentiæ & reflexionũ æqualitate*. Nam guttulæ roridæ sunt instar pellucidæ Sphæræ, quæ receptum Solis lumen ad oculos transmittendo, non nisi per illuminata puncta lumen suum communicant: hinc fit ut non omnes guttulæ lumen ad nos deferant, sed illa duntaxat puncta, quæ à parte concava ad visum nostrum per angulum semirectum reflexionis perveniunt. videat. *Excell. Dn. Linemannus* in disp. theor. de Irid. Hîc quæritur I. *Cur arcus semper semicircularis appareat, semicirculo quandoq; minor quandoq; major*? Resp. quia Iridis Centrum Sol & visus noster in eodem axe versantur, fit ut Sol si sit elatior Iridis centrum fiat depressius, quò autem depressior eò centrum Iridis fit elatius, atq; ita propter Terræ tumorem integer circulus apparere nequeat; Sin tamen contingat ut Homo in excelsa montis altitudine sit constitutus, nõ impossibile erit etiam integram circumferentiam conspicari posse. II. *Cur Iris fugientem sequi, & sequentem fugere videtur*? Resp. fit id propter diversas reflexiones, quæ perveniunt ad oculos à diversa radiatura, prout visus mutat puncta sua in re visa. [2.] *Colorum efformatio* in Iride oritur ex diversa radiatione seu nubis illustratione, atq; adeò ex diversa radiorum in Nube receptorum refractione, unde *Color* alius est *primarius* seu usitatus, alius *secundarius* & non ita usitatus. *Primarius* est triplex: *Puniceus* est supremus ex pleniori

radiorum ſolarium infuſione ortus: *Viridis* qui debilior, quoniam à priori pingitur: *Cæruleus*, hic debiliſſimus quia remotiſſimus. *Secundarius* eſt *Flavus* alij eum Purpureum appellant ac tertium ex eo faciunt inq; omni Iride exiſtere pronuntiant; Nos de hiſce nemini litem movebimus. Quod ſi jam contingat ut duæ Irides appareant, quarum poſterior eſt imago imaginis mediatè à Sole per reſplendeſcentiam à prima proveniens, redditur ordo colorum inverſus, ut qui illic fuerat primus, heîc fiat infimus. [3] *Situs locatio* eſt omnis Plaga mundi excepta meridionali. Iris ergò fieri poteſt *in parte* (a.) *Orientali*, ſic Iris ſemicircularis occaſum agnoſcet. (b.) *Occidentali*, apparebit in ortu ſemicircularis puta vel major vel minor juxta centri Solaris mutationem ſupra Horizontem (c.) *Septentrionali*, verum nunquam ſemicircularis, quia Sol in meridie tempore Solſtitij hyberni non ferit horizontem. Quod autem in parte meridionali apparere nequeat, ratio eſt quod Sol nunquam in parte ſeptentrionali ſit conſtitutus juxta viſus & iridis in auſtro oppoſitione, quum ergo Iris ſemper Soli debeat opponi, ſequitur in Auſtro Iridem apparere non poſſe. *Finis* eſt vel *naturalis* vel *ſupernaturalis*. *Naturalis* eſt Pluviæ ſignificatio. *Supernaturalis*, fœderis inter Deum & nos confirmatio. Cauſis ergo naturalibus indagatis ac penſitatis quæritur: *An Iris fuerit ante Diluvium?* A. quia exiſtentibus omnibus cauſis & non impeditis neceſſariò ſequitur & exiſtit effectus. Atqui Cauſæ Iridis ante Diluvium extiterunt. Ergo extitit quoq; ipſa Iris. Major eſt ἀξιώπις. Minor ex dictis conſtat. Breviter autem dicendo, Duo ad generationem Iridis requiruntur: *Nubes* & *Sol*. Nubes debet eſſe rorida & ex adverſo Soli oppoſita. Sol duas habet proprietates. 1. ut radios ſuos ex adverſo projiciat in Nubem diſpoſitam. 2. ut radios illos refractos à nube ad viſum reflectat, quæ ſingula cum ante Diluvium concurrerunt utiq; arcum illum cæleſtem ante Diluvium extitiſſe inficiandum non eſt. Nec magni eſt momenti quod objici ſolet ex *c. Geneſ. 9. v. 12.* ubi dicitur quod *DEUS arcum ſuum in nubibus poſiturus ſit in ſignum fœderis, in ſignum nunquam poſt futuri Diluvij univerſalis*, Etenim 1. Diſtinguendum eſt inter *Iridem* conſideratam vel *abſolutè* ut eſt meteoron naturale; vel *reſpectivè* ut ſignum fœderis

fœderis DEI. Res ipsa ante Diluvium fuit, officium ac respectus post Diluvium accessit; inest ergo illi illationi nulla consequentia. Ut enim non valet: Christus ordinavit ut panis esset sui corporis Sacramentum & memoriale: ordinavit ut aqua esset signum gratiæ & lavacrum regenerationis. Ergo ante institutionem Cœnæ aut Baptismi panis & aqua in sua essentiâ non fuerunt, uti hanc comparationem instituit *Danæus* Phys. Christ. Tr. 2. c. 17. p. 47. Ita nec hæc illatio quidquam valebit. 2. Intelligenda sunt illa Scripturæ verba non de novâ & miraculosa Iridis productione. Ad causam enim primam adscendi non debet, nisi secunda nulla nominari possit, sed de novi fœderis ordinatione.

*An Stella Cadens (Germanis* das Sternschiessen) *veram suæ originis adnoscat causam?*

Ut Problematis ἐξήγησις sit expeditior, triplex opinionum hîc se ingerens diverticulum breviter inquirere collubet, cujuvis ἐξαχρίβωσιν in unũ rationis gyrum brevi leviq; negotio revocaturus taliter progredior. *Stella cadens* est aut *vera Stellæ è firmamento prolapsio*, aut *astralis materiæ excretio*, aut *purioris effluvii in aëre accensio*. Non 1. *Vera Stellæ è firmamento prolapsio*, refragatur enim illi (1.) *DEI præpotentis voluntas*, qui totam Cæli machinam ejusvè corpora ante totale ac universale novissimi diei excidium interitui obnoxia non exponit. (2.) *Lapsus syderei corporis diuturnitas*. Impossibile enim est per Naturam motum Stellæ labentis esse momentaneum, sed potius ex tantâ altitudine per aliquot annorum intervalla in terram prolabi, unde cum vicinior terræ, in majori quantitate ab oculis nostris deprehenderetur, quod tamen contra experientiam. (3.) *Immanis Corporis stellaris vastitas*; Si enim Stella in Terram caderet, illa Terram operiret, quod operimentum si denegares, foret ut in ipso casu lapsuq; aut *quandam mutationem in se*, aut *nullam prorsus subiret*. *Si hoc*, operimentum Terræ necessariò est concedendum. *Sin illud*, transiret aut *in aliquid* aut *in nihil*. Si *in aliquid*, utiq; entitatem adhuc obtinebit, quia aliquid est Synonymum Entis, atq; sic ibit aut in *Substantiam*, aut *in Accidens* Si *in Substantiam* aut in *Corpus* interibit, aut in *Spiritum*. Non in Corpus, quia ex materiato nunquam fit immateriatum, ex

Spiritu nunquam fit corpus. Non in Spiritum, aliàs Spirituum daretur generatio & quidem propriè dicta per se. Manebit ergò ob entitatem alicubi, omne enim Ens actu existens est alicubi, si autem est alicubi, aut *manebit in aëre* aut *ad Terram verget*, *Si hoc* opertio adhuc stabit, *Si illud* utiq; semper conspiceretur, qnod non contingit, imò demum ob loci inconsistentiam in præceps volveretur. Si *transibit in nihil*, aut *naturaliter* hoc fiet, aut *præternaturaliter* virtute Dei. Non *naturaliter*, quia inter aliquid & nihil est infinitum intervallum, quod non potest expleri nisi ab infinito. Non *præternaturaliter*, quia Deus modum naturalem non labefactat & pervertit. At objicis locum Math. 24 v. 29 Marc. 13, v. 24. ubi Salvator asserit Stellas de Cælo casuras. Resp. Verba illa intelligenda sunt vel *allegoricè* ut vult *B. Lutherus* hoc modo: Præcipui in Ecclesia Doctores eruditionis, sapientiæ & pietatis gloriâ clarissimi, relictâ doctrinâ, quam Christus de Cælo attulit, deficient ab Ecclesiæ societate & in horrendos errores ruent: vel *si propriè*, explicanda sunt de inclinata virtute Stellarum & imminuto earum debilitatoq; lumine ut sentit *Dn. D. Hunnius* in expl. c. 24. Matth. & cum eo *Dn. Jac. Mart.* Centur. quæst. phil. 3. disp. 9. q. 8. Non 2. *Astralis materiæ excretio*, si enim illa superflua Stellarum excreatio (quam Germani das Sternschnautzen vocant) daretur, quî possibile foret eandem tàm citò ad nos posse devehi, cum illa ad ingentis lapidis molaris gravitatem non accedat. At hic aliquot annorum circumvolutiones ad lapsum suum exigit, uti id satis haud vulgares demonstravêre Mathematici. Igitur planè non-Ens erit illud Stellarum excrementum. Præterea si Stella cadens excrementum quoddam esset Stellarum, quæro num illud igneum sit an non? Si posterius, eritne materia illa Stellarum sulphurea ut accendi queat? Cum enim Sulphur primum sit φλογιστὸν nihilq; sine sulphure inflammetur anne Stellæ erunt sulphureæ? quippeni, cum nil sit in effectu quod non antea fuerit in suis Causis, vix credo. Si prius, quî excrementum illud tanto tempore flammeum perdurabit? Erit ergò Stella cadens nihil aliud quam 3. *Effluvij purioris in aëre accensio*, quâ Sulphureæ scintillulæ in fumo contentæ in aëre accenduntur, quæ ob frigiditatem repressæ ac deorsum detrusæ Stellarum è

Cælo

Cælo cadentium imaginem ostendunt: Generatur autem hoc meteoron sereno tantùm tempore & aëre puro, constat enim effluvio subtili & sicco suphure permixto, ut ita vapores densiores neutiquàm pati possit. Motus ejus incitatus inde provenit, quod fumus ille in longum sit protensus instar pluveris pyrij, qui si accendatur momentaneus fit & evanescit. Quod verò Stella ista sub qua Meteoron hoc extiterit, evadat inconspicua, ratio est, quod postquam extincta fuerit Stella cadens fumus quidam in aëre adpareat, qui illîc loci quo fuerat ob copiam remanens, ejus Stellæ conspectum oculis nostris demit. Maximum verò cuipiam hîc dubium suboriri posset quî *scilicet ex effluviis tot Meteora fieri queant*? Eidem respondsum damus Effluvia non esse unius generis. *Quædam* sunt arida, levia ac insimul pinguia quæ suprà Nubes elata si accendantur existunt Fax, Ignis perpendicularis, Bolis &c. Quædam sunt arida, pinguia sed non ita levia, propterea in Nubibus concluduntur ubi si incendantur existit Fulmen, Tonitru. Quædam sunt arida pinguia & graviora quæ prope terram accensa oriuntur Draco Volans, Ignis fatuus &c. *Alia effluvia* sunt arida sed non pinguia quorum subtilissima in supremam aëris regionem evehuntur ut est Materia Crepusculorum. Alia non sunt ita levia quapropter in nubibus remorantur è quibus existunt chasmata Halones &c. vel si repercutiantur, oriuntur Venti ut volunt Peripatetici. *Nonnulla* sunt humida, ex quibus generantur Nebula, Ros, pluvia &c. Quod si verò effluvia adhuc in Terræ visceribus sint inclusa, ob spirituositatem maximâ vi erumpunt, ut Terræ Motus &c. Quæ singula, si methodicè dispositа velis cognoscere, sequentia attende: *Effluvia mista* communiter *Meteora* dicta sunt duplicia. 1. *Hypostatica* sunt *ignea*, *aërea* seu spirituosa, *aquea*, *terrea*. *Ignea* alia sunt *puriora*, alia *impuriora*. *Puriora* accenduntur in *aëris regione*, *aut supremâ* suntq; vel *Conjuncta*, ut Fax, Trabs, Bolis; vel *Dissipata* ut Capræ saltantes, scintillæ volantes; aut *Media* ut Stella Cadens, Lancea ardens; aut *Infima* ut Ignis fatuus, Draco volans, ignis lambens. *Impurum* est Fulmen. *Spirituosa* in locis subterraneis sunt Ventus & Terræ motus. *Aquea* sunt vel *in aëris regione* (1.) *Media* ut Nubes, Nix, Pluvia (2.) *infimâ* ut Grando, Nebula, Ros, Pruina &c.

na &c. *Terrea* ut Lapis fulminaris item Filum B. Virg. Mariæ. 2 *Emphatica* sunt Chasmata, Colores Nubium, Iris, Halo, Parelius, Paraselenæ &c. De quibus ὡς ἐν παιδὸς quæ alibi fortè accuratius disposita dabo.

*An & quomodo Infantes Supposititij (Germanis* Wechselbälge Külkröpffe *) pronascantur?*

Existentiam istorum Infantum proximis ab hinc retrò seculis testatur Experientia, cui reluctari nefas. Quomodo verò & unde principium generativum existat, anxiè ceptum est investigari, ita ut in hoc ignoratiæ asylo conducibilius foret ἐπέχειν, quam certi quidquam affirmando ὀδὲν οἶδα καὶ ὄνυξι διαφυλάττειν. Si tamen quid dicendum venit, ajo, principium seu modum Infantum Supposititiorum generativum fieri aut *per viam creationis*, aut *per viam generationis*. Non *per Viam creationis*, hæc enim quia est infinitæ virtutis soli DEO competit. At Dei creatio tendit ad pulchritudinem non ad deformitatē, est enim τῶ κάλλοις γενεσιάρχης Sap. 13. v. 3. Non *per Viam generationis*, orietur enim modus ille generationis aut *ex congressu maris & fœminæ*, aut *ex congressu Dæmonis cum homine*. Non *prius*, quia infantes hosce supposititios à Mare & fœmina, per viam generationis naturalis consuetam non progenerari, apud omnes est in confesso. Si *Posterius*, *modus* ille generationis erit aut *verus* aut *falsus*. Non *Verus*, exercebunt enim actum generandi Dæmones vel *prout tales in se sunt*, vel *ut apparent in corpore assumpto*. Non *prout tales in se sunt*, quia in Dæmonibus deest materia generationis, videlicet semen. At ubi deest materia generationis, ibi deficit ipsa generatio. Antecedens patet, si enim Dæmones haberent semen, habebunt illud aut *intrinsecè à seipsis*, aut *extrinsecè ab alio*. *Non à seipsis*, quia (1.) Semen non est nisi ab alimento. Ar. l. 2. gener. animal. c. 3. Dæmones autem quia spiritus sunt ali non possunt. quia (2.) omne simile progenerat suum simile, Si ergò Diabolus à seipso generaret, generaret utiq; non hominem sed Dæmonem. At Posterius uti absurdum ita & antecedens. *Non ab alio*, quia is dicitur generare, non qui semen aliorsum transsumpsit, sed qui emisit. *Non in corpore assumpto*, quia illud corpus assumptum aut *mortuum* erit aut *vivum*: si *mortuum*, quo-

quomodo ex mortuo generarereturvivum? Si *vivum* illud aut *ineptum erit ad generandum*, aut *aptum* erit. Si *ineptum*, Diabolus non aptum fecerit, quia hoc solius Dei est & Naturæ. Si *aptum*, Diabolus non generabit, sed corpus ad generandum aptum, ubi tamen suspendimus illam sententiam num Diaboli in corpore assumpto generare queant, putant enim nonnulli si cum mulieribus congrediantur Ephialtas sive incubos, si cum viris hyphyaltas seu succubos nasci *Bodin.* l. 2. c. 7. seu ut alij volunt quod Dæmon succubus & incubus ille dicatur qui adsumpto corpore in speciem mulieris formato alicui succumbendo, semen virile recipit, illudq; in nativâ suâ qualitate, quæ naturali generationi convenit conservat, usq; dum formâ muliebri deposita & virili assumpta illud incumbendo in matricem fæminæ transfundat, quam sententiam citat *Dn. Scharf. Pneum* l. 3. q. 3. ubi eam sententiam alij totaliter approbant, alij duntaxat ex parte, de Dæmone incubo affirmantes, de Dæmone succubo negantes. Erit ergò modus ille generationis *falsus* & inanis, quem Diabolus peragit vel (a.) *Sagarum uterum distendendo & inflando*, ut ex semine & sanguine materno corpus quoddam elaboret, istud moveat, ex eo loquatur, ex eo ubera sugat & sæpè tàm avidè ac acriter, ut pro infante uno vix quinq; mulierum ubera sufficiant ut vult Dn. Sperling. instit. phys p. 373. & 374. quale exemplum recitat *B. Lutherus* Puerum scilicet in Saxonia fuisse, qui quinq; mulierum ubera suxerit nec tamen expleri potuerit: vel (b.) *in partu fucato puerum ex aëre condensato factum exponendo*, ut sentit D. *Jacob. Martini* in διατκευ. de act. mag. Hic modus confirmari potest quodam Exemplo relatione haud indigno, quod pauco ab hinc tempore Memelæ Borussorum accidit, ubi Infans supposititius in partu luci expositus multaq; annorum serie educatus ventris voracis jejunia placare nunquam poterat, linguaeq; facultate uti noluerat. Obferebatur quandoq; occasio, ut Infans hic aliquando limina Horrei sedendo premeret, quem dum Servus, plostrum frumenti largè onustum, invecturus in Horreum, conspiceret, protinus Puero cessit, bigasq; declinando currum subvertit. Servus maximè stomachabundus in Puerum vehementer invehebatur. Assurgit Puer servoq; spondit, quod si factâ stipula-

stipulatione devinciret, ut optimâ fide rem taciturnitate celaret, citra moram semet illi in onere sublevando suppetiaturum, quod dum Servus annueret Puer vel unâ manu currum frumento erectum sistere fecit; iste obstupefactus mox Hero officium serviendi detrectat. Parentes Infantis causâ maximoperè sunt solliciti inprimis de facultate loquelæ haud exerendæ, quam tamen ipsi non denegatam animadverterent. Vir Prudens in vicinia, cum Infantis Parente fortè conveniebat ac rerum gnarus id consilij eidem impertiebat: Accipe, inquit, ovum puero præsente in quo perinde ut in Ligneis vasis cerevisiam coquito, ubi infans ineptias tuas visurus linguæ vincula rumpere cogetur teq; adstantibus deridendum propinabit. Quid fit consilio respondet eventus; Infans enim dum cerneret acta parentis, subindè admiratione tactus in hæc prosilit verba: Ich bin so alt / als der Böhmische Wald / vnd habe noch nie gesehen im Ey Bier brauen. finitoq; sermone oculis adstantium abductus postidhàc non apparuit; vel (c.) nonnunquàm *alijs matribus infantes suffurando* inq; locum istorum supposititios suos reponendo, Dæmon suffuratos Magis exhibet & committit, ut colligit Dn. Sperling loco antea citato. item *Anonymus* in Tract. mag. c. 14. p. 136.

*An Sol sit major Terrâ: Luna autem eâdem minor?*

Tria hîc quæsita evolvenda sunt quorum I. *An Sol sit major Lunâ?* A. Probat hoc Ecclipsis Solaris totalis, dum lumen Solis à Luna centraliter interceptum mox in alterâ parte faciem nobis exhibere incipit, unde concludit Optica Solem Lunâ esse majorem partim *ob corporũ solarũ marginem*, quæ in Ecclipsi conspici potuerat, partim *ob brevem corporũ lunarũ in mora intercapedinem*, quæ non dudum duraverat. II. *An Sol Terrâ sit major?* A. Liquet enim id ex Ecclipsi lunari; Luna enim quando versatur in Perigæo, tùm diutius detinetur quam si fuerit in Apogæo, propterea quod umbra, quò longius extendatur, eò fiat angustior atq; sic umbra Terræ reddatur κονοειδής. At ubi umbra datur κονοειδής, ibi oportet globum lucidum illucido esse majorem. III. *An Terra sit major Lunâ?* A. cum enim umbra Terræ quò longius protrahatur fiat angustior uti dictum, Luna nihilosecius tamen cum quadam mora totaliter detineatur, sequitur infallibiliter Lunam Terrâ esse minorem ob la

titudinem umbræ terrestris Lunâ majorem.

# ANTILOGIA I.

## Definitio & Divisio in primâ mentis Operatione pertractanda sunt: & Definitio ac Divisio in primâ mentis operatione pertractanda non sunt.

Disp. X. *Respond.* Rudolpho Josua à Lindainer Equite Silef.

Dist: I. inter *Definitionem & Divisionem* quatenus attenduntur vel *materialiter*, & concretè applicando rationes definitivas & divisivas certis materiei speciebus, vel *formaliter* & abstractè prout ab omnibus materiis particularibus formalis earundem ratio idealiter exhibetur. Dist: II. inter *Definitionem & Divisionem* consideratam. 1. *inesse absoluto* quoad earundem tùm quidditatem, tùm varietatem. 2. *in esse respectivo*, prout vel constituunt peculiarem locum in Doctrinâ Topicâ ad argumentationem construendam ac componendam, vel usum & fructum Logices. Disting. III. inter *Definitionem & Divisionem* prout sumuntur secundum *complexionem* aut *apprehensivam*, quâ plures conceptus involvuntur sed non uniti vinculo propositionali; aut *Enunciativam*, qua plura tanquam Subjectum & Prædicatum ita conjunguntur, ut inde consurgat oratio verum aut falsum significans.

Concl: 1. *Definitio & Divisio, quando considerantur tùm materialiter, tùm secundum complexionem enunciativam, tùm inesse respectivo in primâ mentis operatione pertractari non debent.*

Non 1. *materialiter*, quia sic omnes omninò Disciplinas ob materiæ diversitatem respiciunt, quæ dum peculiariter cognosci cupiunt,

unt, Definitionem & si quæ est Divisionem appetunt. At multis quod est commune unius rei non fit proprium. Non 2. *Secundum complexionem Enunciativam*, quia hoc modo constituunt integram Enunciationem Subjecto & Prædicato copulatam, inq; se definitum & terminos definientes item divisum & terminos dividentes complectentem, siquidem Definitio & Divisio mediante copula constituunt Propositionem. E. gr. Homo est animal rationale, hæc quin Enunciatio sit extra dubium est, si enim illius simplex videl: homo est animal, propositionem constituit, quî ergò ab eadem excludetur Enunciatio aucta; Nam tale tali effectivè additum per Conditionem alienantem & minuentem non impeditur, sed adjuvatur propterea quod omne tale additum tali faciat illud magis tale. Si igitur h.m. propositionem efficiunt, sub censu terminorum simplicium non comprehenduntur, quandoquidem terminus simplex & Propositio sub distinctis stant mentis operationibus, quæ simpliciter identificari nequeunt. Non 3. *in esse respectivo*, quia 1. Argumentari è Definitione & Divisione non primæ; sed tertiæ mentis operationis est proprium. Siquidem regularum consequentiæ efformatio argumentationis est certificatio; quia 2. Definitio & Divisio potissimum usum habent in tractatione thematicâ, at usus hic in Methodologiâ est explicandus. At methodum qui investigat, præceptorum Logicorum fructum indagat.

## Concl: 2. *Definitio & Divisio quando considerantur formaliter in esse absoluto, secundum complexionem apprehensivam, in primâ mentis operatione pertractari debent.*

Probo 1. *à terminorum simplicium Distributione.* Omnis terminus simplex, aut est signans, aut signatus. Signatus vel ineptus vel aptus. Si aptus, partim incomplexus, isq; tum consentaneus ut Synonymum & Paronymum: tùm Dissentaneus ut opposita; partim Complexus ut Definitio & Divisio. Quam Distributionem vide sis apud *Excellentiß. D. M. Eisl. Palæstr. Logic. Consl. 3. p. 87.* Sumitur autem Terminus simplex hoc loco, non quasi nullam admittat Compositionem; sed quod non Compositionem Enuntiativam

tivam ingrediatur, hinc est, quod Arist. subministrat hanc Distributionem terminorum in Division. anteprædicam: dum ait: Τῶν λεγομένων τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς. Etenim complexum cum non tantum sit voce, verum etiam re, immò re & voce simul, Definitio & Divisio erunt è numero Terminorum Complexorum voce tantum, sunt enim hi Termini tantùm secundum vocem multiplices, ratione verò significati omninò simplices, atq; ob id in primâ mentis operatione pertractandi. 2. *Ab unius objecti ad mentem repræsentatione.* Ubicunq; datur nudum prædicatum extra respectum ad Enunciationis partem primam, ibi datur objectum unum in primâ mentis operatione pertractandum. Atqui in Definitione & Divisione datur nudum prædicatum extra respectum ad Enuntiationis partem primam videl. Subjectum. E. Major prob. quicquid tantum objectum unum ex duabus quasi partibus aggregatum per modum unius apprehensum importat id naturam termini simplicis non tollit. Min. patet, quia in Definitione & Divisione quatenus contradistinguuntur Definito & Diviso non importatur subjectum & prædicatum conjunctum per Copulam. At ubi hæc non adest, expirat Enunciatio. 3. *à simplici rei objectæ explicatione.* Quicquid exprimit essentiam simplicem sine affirmatione & negatione expressam, id facit terminum signatum simplicem. At Definitio formalis & Divisio exprimunt Essentiam simplicem sine affirmatione & negatione expressam. E.

## ANTILOGIA II.

### Omnis Definitio constat genere & differentiâ Specificâ. Et non omnis Definitio constat genere & differentiâ specificâ.

Dist. I. inter *Definitionem perfectam*, quæ fit per ea quæ purè essentialia sunt Definiti: & inter *Definitionem imperfectam*, quæ fit ex prædicatis, quæ aut planè non sunt essentialia, aut si sunt, aliquid extraneum essentiæ habent admixtum, & non declarant non tàm qui res sit, sed quid res non sit, vel undè sit, vel in quem finem

sit, vel qualis sit, uti habet *Clar. Dn. Weger.* pr: ment. oper. c. 23. p. 526. Disting. II. inter *Genus & Differentiam* sumpta vel in *sensu vulgari*, prout ex prædicabilibus depromuntur; vel in *sensu accurato*, prout iis indigitatur nihil aliud quam Conceptus determinabilis & determinans. Dist. III. inter *Genus & Differentiam* aut *exquisitè dicta*, quæ competunt tantùm rebus prædicamentalibus, aut *analogicè accepta*, prout per Genus aliquid latius, per Differentiam aliquid strictius indigitatur. Dist: IV. inter *Genus proximum* & *remotum*, item inter *Differentias specificas & intermedias.*

## Concl: 1. *Omnis Definitio perfecta in sensu Aristotelæo constat proximo genere & Differentiâ specificâ exactè dictis.*

Prob: 1. *Quicquid definitur perfectè, illud est Species.* Ar. 7. Met. c. 4. Omnis species secundum essentiam ex genere & differentiâ componitur. At verò quicquid ex partibus essentiæ componitur, illud ex iisdem etiam definitivè constituitur, siquidem omnis Definitio est essentiæ explicatio. 2. *Quicquid perfectè definitur illud per se tenetur esse in prædicamento*, quod enim per se non est in prædicamento, id hinc cognoscitur non esse genus aut species, siquidem Prædicamenta nihil aliud sunt, quam Classes rerum per genera, species & differentias dispositarum, ut ex illis primò materies prædicationis depromatur, definiente *Clariß Dn. Scharff.* instit. Logic. 1. tract. 3. c. 2. p. 104. Jam verò Genus indicat, in qua classe rerum species locum teneat: Differentia verò notificat, quomodo ab alijs rebus, quas genus suo complectitur ambitu, definitum separetur, quibus conjunctis facilè extruitur Definitio, per quam apparet, in quo cum alijs rebus conveniat, & in quo ab alijs rebus distinguatur definitum. Genus ostendit, quid res commune habeat cum alijs: Differentia, quid proprium. Is autem res intelligit, qui scit earum proprietates & communitates. 3. *Quicquid definitur, illud est compositum.* Omne autem Compositum agnoscit terminos componentes. Termini autem componentes sunt genus & differentia. Unde, ex quibus partibus constituitur definitum, ex iisdem quoq; constare debet Definitio. Atqui Definitum

ex dua-

ex duabus partibus essentialibus constituitur. E. quoq; hæ eædem partes συμβολικῶς in Definitione poni debent.

## Concl: 2. *Non Omnis Definitio perfecta constat proximo Genere & Differentia proxima.*

Prob. Omnis oratio explicans perfectè essentiam rei, constituit perfectam Definitionem, siquidem Definitio est λόγ@ τῆς οὐσίας. At dantur orationes, quæ licet proximum Genus & Differentiam non habeant, tamen perfectè essentiam rei explicant. Etenim potest aliquid definiri per genus remotum, ut ipsi non solùm specifica Differentia, sed & omnes intermediæ apponantur & conjungantur, quibus eâdem ratione Definitum secundum omnia prædicata essentialia penetratur. E. gr. *Homo est Corpus animatum sentiens rationale*; vel homo est Substantia corporata, perfectè mixta, animata, sensitiva rationalis. Atq; hujusmodi Definitiones judice *Dn. Daniele Stahlio* reg. Philos. tit. 12. reg. 5. nihil planè habent vitij, sed æquè excellentes sunt, atq; illæ, in quibus ponitur genus proximum cum Differentiâ Specificâ, quia æquè perfectè explicant essentiam per prædicata quidditativa. Conf. *Arist. l. 7. Met. c. 12.*

## Concl: 3. *Non Omnis Definitio perfecta in sensu accurato constat genere proximo & Differentiâ Specificâ, exquisitè dictis.*

Hæc Conclusio ut legitimè decidatur, primum status controversiæ commodè formandus erit. Non ergo quæritur 1. An Definitio, quæ habet Genus & Differentiam exquisitè dicta sit illegitima & imperfecta? nec quæritur 2. utrum res prædicamentales ex duabus illis partibus in rigore sic dictis definiri debeant? Sed quæstio occurrit; *An omnis perfecta Definitio debeat genere & differentia exquisitè dictis constare, ita ut hisce denegatis perfecta definitio salutari nequeat omninò*? Hoc est quod negamus, obstat enim [1.] *Definitionis natura*, quæ sicuti ad prædicamenta est illimitata non tenetur ex iisdem omnium rerum quidditates secundum partes prædicamentales suppeditare, sed sicubi essentias rerum extra easdem partes exprimere valet, secundum duplicem conceptum

latiorem seu convenientiæ, & strictiorem seu disconvenientiæ (quos si per genus & differentiam latissimè dicta explanare velis, non repugnabo) penitus indagare. Probo. Quicquid definiti Essentiam intrinsecè constituit, illud perfectam exhibet definitionem. Atqui conceptus determinabilis seu convenientiæ & determinans seu disconvenientiæ essentiam definiti intrinsecè constituit. E. [2.] *Fidelis rerum cognoscendarum cultura.* Cupiunt enim omnes res quidditativè, quantum fieri potest cognosci. At cognitio accurata rei cognoscendæ non tantum prædicamentalis, sed & extraprædicamentalis semper essentiam & definitionem appetit. At quî posset res cognoscenda essentiam appetere, cum eidem hæc per prædicamenta denegaretur. Cuicunq; autem denegatur vera Definitio, eidem etiam non competit distincta cognitio. Jam verò datur rerum etiam extraprædicamentalium vera cognitio, quæ cum in Definitione per partes definitivas generis & differentiæ strictè talibus nequeat indagari, poterit illa conceptu determinabili & determinante quidditativè rectificari. [3.] *Felix disciplinæ Logices censura.* Hæc enim cum omnes res quà rectificandæ sunt censere debeat, tenetur media universalia omnibus aperta rebus suppeditare. At cum ex eorum etiam numero sit Definitio, debet illa non tantum ad res prædicamentales, sed etiam ad extraprædicamentales extendi. Nec est, quod objicias rerum Compositionem & imperfectionem. Rectissimè enim respondet *Celeberr. Dn. D. Calov. Met.* div. m. p. 546. Distinctio duplicis istius conceptus non est à parte rei, datur enim hic nihil contrahibile, cum omne quod est, singulare sit, sed tantum in mente, quæ rem non immutat. Probo: Quæcunq; à parte rei realiter sunt unum & idem, illorum unum non potest esse in potentiâ ad alterum, nec unum potest contrahere alterum. At duplex iste Conceptus à parte rei realiter est idem, neq; plus est perfectionis in uno quam in altero quatenus est à parte rei. E.

## ANTILOGIA III.

### Definitio debet esse negativa. Et Definitio non debet esse negativa.

Dist.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0166
DFG

Dist. I. inter *Definitionem* sumptam. 1. *apprehensivè* pro termino complexo, prout Definito contradistinguitur. 2. *Enunciativè* pro integrâ propositione ex Definito & Definitione concinnatâ. Dist: II. inter *Definitiones Essentiales* seu perfectè Definitivas, & inter *Definitiones improprie dictas* seu descriptivas. Dist. III. inter *res definiendas*, quæ sunt aut *entia positiva*, quæ in suâ naturâ negationem non includunt, aut *entia negativa*, quæ in suâ naturâ negationem important. Dist. IV. *inter rem ipsam negativè affectam, & inter rem termino negativo expressam.*

## Concl: 1. *Definitiones impropriè dictæ in Entibus & positivis & negativis debent esse negativæ, non tantum quà rem termino negativo expressam, sed & quà rem ipsam.*

Dico I. *in Entibus positivis.* Dantur enim in his nonnullæ Definitiones vel potius descriptiones, quæ vel ob imperfectionem vel ob majorem commoditatem & declarationem negatione delectantur. Sic Ar. in Antepræd. describens, quid sit inesse Subjecto. *In Subjecto*, ait, est quod est in alio non tanquam pars. Et in prædic. Substant. Substantia, quæ maximè propria est, quæ neq; de Subjecto aliquo dicitur, neq; in Subjecto aliquo est. Dico II. *in Entibus privativis*, quæcunq; Entia in suâ naturâ negationem aut privationem includunt, ita ut horum definita descriptionis sint effecta illa per negationem omninò exprimi debent. At Entia privativa suâ naturâ negationem aut privationem includunt, ut illorum Definita evadant capacia, id quod Ar. 6. Top. c. 7 §. 7. ipse testatur, dum inquit: *fortasse in nonnullis necesse est definitionem uti negatione, ut in privationibus*, nam cæcum est, quod non habet visum, quem secundum naturam habere debet. Unde quicquid rem Entitate privat, illud per negationem est definiendum, negatio enim includit privationem. At privatio Entitatis positivæ est remotio. Quicquid autem Entitatis habet remotionem positivè definiri non potest. Si enim positivè Definitionem subiret, sequeretur Definitionem & Definitum se habere tanquam excedens & excessum. At hoc fieri non debet. Definitio enim non sit latior Definito,

cum

cum omnis Definitio debeat reciprocari cum suo Definito. Ar. l. i. Top. c. 7. §. 2. Jam verò Entia privativa sunt talia, dicunt enim nihil aliud quam carentiam Essentiæ positivæ in Subjecto rem negatam recipere apto; ablato namq; bono pertinente ad naturalem perfectionem Subjecti, necessum est ipsum Subjectum defectum quendam pati. Igitur quin utraq; negativè sint definienda nullus ambigo.

Concl: 2. *Definitiones tùm enunciativè, tùm apprehensivè tales non debent esse negativæ quoad rem, benè autem in nonnullis quà rem termino negativo expressam.*

*Prius patet.* Quia Definitio Enunciativè dicta significat propositionem ex Definitione & Definito constantem, quæ sanè non negativa sed affirmativa sit oportet, siquidem Definitio & Definitum sunt termini reciproci seu convertibiles quorum unum de altero necessariò affirmari debet. Nam terminorum reciprocatio negationis est violatio. *Patet posterius.* Etenim dantur res quæ ob perfectionem summam & Linguæ Latinæ penuriam termino negativo exprimi debent, uti id certum est de DEO, cujus cognitionem ut acquiramus *triplici utimur via*, quæ aliàs dicitur *Scala Divinæ notitiæ*, talis est 1. *Via causationis* s. causalitatis, quando ex operationibus & effectis Deus colligitur. Ut enim aliàs omnis effectus arguit suam Caussam; siquidem eâ sublata tollitur effectus, ita etiam opera Dei in ejusdem nos deducere valent notitiam. 2. *Via perfectionis* seu eminentiæ, quando perfectiones Creaturarum DEO supereminenter attribuuntur, cum enim nihil perfectionis existat in effectu quod non sit in suâ caussâ puta vel formaliter vel virtualiter, vel eminenter, utiq; omnes etiam perfectiones si quæ sunt in Creaturis DEO eminenter & perfectissimo modo sunt attribuendæ. 3. *Via negationis* quando à DEO removemus omnes Creaturarum imperfectiones. Etenim cum in Deo nulla penitus occurrat imperfectio quæ reperitur in Creaturis, fit ut labem imperfectionis à Creaturis auferendo, termini quidam reperiantur negativi, qui Definitionem ingressi eandem negativam non dant in re ipsâ sed tantùm quoad terminum.

ANTI-

## Divisio datur in omnibus rebus: Et Divisio in omnibus rebus non datur.

Disting. I. *inter Divisionem vocũ & rei.* *Illa* est oratio varias vocis significationes enumerans, & dicitur Distinctio Vocis æquivoci in sua æquivocata. *Hæc* est qua res ipsa distribuitur. Dist. II. *inter Divisionem realem*, quæ est vel *Essentialis* cum totum Essentiale in suas partes dividitur, vel *integralis* cum totum integrale dividitur in membra, vel *universalis*, quâ totum universale in minus universalia distribuitur. Dist. III. inter *Divisionem* sumptam aut γενικῶς pro quâvis rei dissensione & diversitate & dicitur *Distinctio*, quæ est vel *rationalis* vel *realis*. *Realis* est quâ conceptus objectivi inter se distinguũtur. *Distinctio rationalis* est vel *rationis ratiocinantis* vel *rationis ratiocinatæ*. Hæc rursus est duplex, vel *ex naturâ rei*, quæ *partim modalis*, partim *formalis*; vel *ex virtutis efficaciâ* quæ virtualis dicitur. Reliquas distinctionis species lubentes prætermittimus: aut εἰδικῶς, pro solâ oratione (uti definiunt *Fons.* l. 4. instit. c. 1. *Tolet.* 1. Isag. c. 7.) quâ totum in suas partes distribuitur.

### Concl: 1. *Divisio tùm vocis, tùm rei γενικῶς spectatæ, datur in omnibus rebus.*

I. *De Divisione Vocũ* certum est. Etenim cum voces significent ex instituto hominum, possunt illæ placito humano facilè ad diversa significandum transferri, hinc fit, ut vix reperiatur aliqua vox, quæ non sit æquivocabilis præsertim si latius extendatur. Nil enim est in rerum naturâ, quod certo modo non possit fingi ac pingi, uti inquit, *Dn. M. Eisl.* palæstr. Log. consl. 3. p. 112. & 113. 2. *De Divisione rei* conclusionem certam esse ita probo. Quicquid est diversum, illud est aut à parte rei sine ope intellectus nostri, vel ex parte intellectus nostri cogitantis & operantis, & hæc datur etiam in rebus simplicissimis, si sc. spectetur sub ratione ratiocinata. Ratio est quicquid nihil immutat in re ipsâ; sed tantum ex parte nostri ad rem cognoscendam accuratius exigitur illud locum habet etiam in Ente simplicissimo. At Distinctio rationis ratiocinatæ nihil immu-

tat in re ipsâ, sed tantum ex parte nostri, ad rem accuratius cognoscendam exigitur. E. Minor prob. quia *Attributa Divina à parte rei sunt simpliciter idem in Deo*, cum omne quicquid sit in DEO, sit ipse Deus, nos tamen partimur essentiam Divinam conceptibus in ordine ad effectus diversos, quorum principium est simplicissima illa & eminens Virtus, quæ Deus ipse est. Dixi autem si spectetur *sub ratione ratiocinata*, siquidem mens nostra in facienda illa Distinctione sumit occasionem à re. Nam multiplex intellectui humano objicitur occasio distinguendi Dei attributa. Inprimis autem tres sunt singulæ tamen in ordine ad Creaturas, à quarum Cognitione provehitur intellectus ad Cognitionem Dei uti loquitur *Clariß. Dn. Scharf. Pneum.* l. 2. q. 3. p. 113. *Prima occasio* sumitur ex *distinctione rerum positivarum*, quæ per negativa Dei attributa de Deo removentur. *Altera occasio* distinguendi attributa Divina desumitur ex diversitate operationum divinarum. *Tertia occasio* discernendi attributa Divina derivatur inde, quod quæ attributa in Creaturis correspondent attributis Divinis sunt in rebus creatis distincta. Vid. pluribus *Dn. Scharf.* c. 1. De reliquis, ut nullum est dubium, ita certum est Divisionem prænominatam in omnibus rebus dari posse,

## Concl: 2. *Divisio rei ἀδιαιρέτως spectatæ in omnibus rebus non datur.*

Obstat enim 1. *Rerum simplicitas*, quæ omnes partes respuit. Quicquid autem partibus non constat, illud neq; dividi potest, quia divisio est totius in partes resolutio. 2. *Rerum difficultas* res enim omnes accuratè dividere maximum laboris est momentum. 3. *Rerum sublimitas*. Entia enim transcendentia respuunt Divisionem realem ob abstractionem summam quam involvunt, unde in ejus locum assumunt distinctionem. Hic non inconvenienter quæritur? *An partitio & Divisio simpliciter sint idem*? N. Differunt enim 1. *tanquam latius & strictius* rectè quidem dicitur; omnis partitio est Divisio sed non contra omnis Divisio est partitio. 2. *Tanquam genus à Specie*. Nam Divisio est vel essentialis vel universalis vel integralis. At partitio tantum assumit Divisionem integrantem, quæ datur vel in partibus quantitativis vel in partibus analogis & intensivis.

sivis. Hinc est quod nonnulli partitionem disciplinis adjudicent, divisionem verò relegent, eò quod in illis detur unitas specifica & habitus indivisibilis qui à formâ propriâ diversimodè intellectui sistitur, unde si is per partes explicetur, oritur Partitio.

## ANTILOGIA V.

### Omnis Divisio debet fieri in partes immediatas. Et non omnis Divisio debet fieri in partes immediatas.

Disting. I. inter *Partes immediatas* quarum *aliæ* sunt *augmentatæ* ex plurium membrorum oppositione, *aliæ diminutæ* ex oppositione paucorum. Dist. II. inter *partes Divisionis materiales* quæ nudam rei materiam insequuntur, & *formales*, quà secundum generalem dispositionem attenduntur. Dist. III. inter *Divisionem* quæ fit 1. per *membra intrinseca & essentialia*. 2. Per *membra extrinseca* accidentalia & fortuita.

### Concl: 1. *Omnis Divisio intrinseca debet fieri per partes immediatas materiales, si sint ex oppositione membrorum diminuta.*

Quia 1. quod potest fieri per pauca legitimè inter se connexa, id non debet fieri per plura. Plurium enim membrorum citra necessitatem aggregatio inutilis ac futilis est multiplicatio. At sicubi membra Divisionis materialia inter se invicem essentialiter concinnata in communi quodam attributo ἴσως conveniunt, debent illa per multas subdivisiones non plurificari; sed sub unitate Divisivâ congregari. quia 2. tales Divisionis partes propiùs accedunt ad naturam Divisi, quæcunq; enim membra Divisiva per mediationem ad divisum recurrunt, illa ab eodem sunt remotiora, quæ vero immediatè rei insunt, rei sunt proximiora. quia 3. quæcunq; Divisio primò actualiter in se complectitur omnia Divisionis κεφάλαια illa est legitima; At Divisio immediata, quæ est ex oppositione membrorum diminuta sufficienter complectitur omnia Divisionis κεφάλαια primò actualiter. E. Major est certa, quia actus est dignior ac perfectior potentiâ perficiendâ. Min. prob. Competunt enim



æquè

æquè illi Conditiones Divisionis quam cæteris membris, ceu sunt. 1. *adæquatio*, quâ membra divisiva re dividendâ non sunt strictiora aut latiora. 2. *Reciprocatio* si membra disjunctivè cum diviso reciprocentur. 3. *Legitima plurium associatio*, quæ requirit. (1.) *Membrorum cum toto consensionem*, inter se invicem verò dissensionem. (2.) *Partium affirmationem* nisi in specialibus casibus puta si & vocabula positiva non adsint, & aliter prolixitas evitari non possit. (3.) *Rerum remissionem*, debent enim singulæ partes dividentes minus habere quam totum Divisum. At hæc κεφάλαια magis insunt Diviso, eò quod eidem immediatiùs adaptantur, uti illud ex ratione secundâ eluxit.

## Concl. 2. *Non omnis Divisio debet fieri per partes immediatas sivè sit ex oppositione membrorum augmentata; sive ex diminuta quoad partes formales.*

Duo heîc speciatim probanda sunt, primum est: *Divisio quæ est ex oppositione membrorum augmentata commodè per partes immediatas fieri non debet.* Quia 1. partium immediata dissensio per mediationem, (si scilicet sine alio gravi incommodo haberi potest) magis investigatur. At quo major est oppositio partium, eò (cæteris paribus) melior est Divisio. quia 2. tali in Divisione magis unitur intellectus ad rem cognoscendam quam in alijs Divisionibus, quibus propter multitudinem partium aggregativè positarum distrahitur. quia 3. per immediatam Divisionem penitius rerum Convenientia indagatur, dum per illam via ad alias subdivisiones instituitur & ostenditur. *Alterum est: Divisio, quæ est ex oppositione membrorum diminuta in partibus materialibus si dari queant, fieri non debet.* Probo. quæcunq; partes disciplinam multifariam ex diversâ consideratione vel Subjecti vel mediorum formaliter afficiunt illæ semper in tractatione partibus materialibus sunt præponendæ. Atqui partes formales in Disciplina tum theoretica tum practica divisim sub prædictis modis se habent. E. Minor probatur, quia generalis Disciplinarum theoreticarum natura tribus absolvitur membris, Subjecto Principiis & Affectionibus. Practicæ verò Disci-

plinæ

plinæ quia media potissimum concernunt, itaq; ex relictione principiorum & affectione in illorum locum tria generalia Divisionis membra omnibus ejusdem generis adaptanda colligunt ceu sunt, Subjectum, Finis & Media. Unde haud difficulter hariolari quispiam poterit, cur Distributionem Logices in tres mentis operationes dixerimus esse legitimam & non Legitimam. Legitimam ex parte materiæ in Disciplina tractanda, illegitimam ex parte formæ totius Disciplinæ Logices quæ distributionem generalem & formalem ex Disciplinis practicis præexigit.

## EPISAGMATA.

*An Stellæ proprio ac nativo gaudeant lumine?*

Distingue inter *Stellas fixas* & *Erraticas* seu Planetas. *Stellas fixas* nativum obtinere lumen, sequenti evincemus discursu; *Stellæ fixæ* aut *proprium possident lumen* aut *mutuatitium*. Non *mutuatitium*, mutuarentur enim illud vel *à Sole* vel *ab alio aliquo Planetarum*. *Non hoc*, quia hi nativo lumine destituuntur uti infrà probabitur. *Non illud*, quia lumen Stellarum fixarum à Sole non dependere evincit. [1.] *Maxima Solis distantia*; etenim sivè assumas fundamenta Astronomiæ Novæ sivè Veteris nil obtinebis. Non *ex fundamentis Astronomiæ Novæ*; Hujus enim duplex potissimùm reperitur *Hypothesis Tychonicæa* & *Copernicana*. Non (1.) *ex fundamentis* Astronom. Tychon. Etenim juxta hujus fundamenta astronomica Semidiameter Solis superat $5\frac{1}{5}$. Semidiametros Terræ. A terra usq; ad Solem sunt 1150. Semidiametri Terræ (quilibet Semidiameter constat 360. millaribus germanicis) à Terra usq; ad firmamentum Cœli 14000. S.T. Erunt ergò à Sole ad Firmamentum 12350 S. T. Quia igitur Sol in tanta altitudine nobis ita parvus apparet, sequeretur eundem respectu Firmamenti proportionaliter vix instar ✳ apparere. Jam verò licet ✳ claro nobis appareat lumine, illud tamen ad Terræ illuminationem nequaquam sufficit. Non (2.) *ex fundamentis Astronom. Copern.* quæ veriora multi pronuntiant, sicq; ex justa calculatione colligunt Solem cuidam homini per hypothesin apud Stellas fixas constituto non majorem apparere quam minimam stellam (scilicet 6. magnitudinis) eâdem fere agies minorem, quî ergò totum illuminaret mundum? Non

(3.) *ex fundamentis Astronomiæ Veteris*, ita enim Sol adhuc minor apparet quàm quidem Tycho intendit sicut probat idipsum *Dn. Cruger.* [2.] *Originalis Stellarum fixarum Substantia*; agnoscit enim Sol cum Stellis fixis idem principium productivum ex quo, videlicet lucem. Lucis enim primæva massa in Solem & Stella fixas est traducta. At quicquid factum est ex materia lucida, illud ipsum in se lucidum sit oportet; Cum omne materiatum imitetur naturam suæ materiæ. Quod autem Stellæ Fixæ constent ex materia lucida indicat hoc earum scintillatio; Cum enim illæ peripheriâ circulari non terminentur uti probat *Acutissimus Dn. Galilæus* sanè præter radiorum luminarium effusionem, illam Scintillationem effectivè causare non possent, quia ergò effectus datur, dabitur etiam vera causa, cum omnis effectus arguat suam causam. [3.] *Inconsequentiæ resultantia*, si enim Stellæ fixæ proprio destituerentur lumine, sequeretur eas visu dijudicari non posse, propterea quod quò magis ♄ à Sole distet, eò fiat lumine debilior juxta Galilæum, quantum igitur in proportione, Stellæ fixæ à Sole lumen suum mutuabuntur, cum illæ adhuc per aliquot mille milliaria à Saturno distent. Erit ergò *Lumen Stellarum fixarum proprium*; Jam si *est proprium* erit illud aut *per se ad luminis transfusionem sufficiens*, aut *luminis adhuc solaris indigens*. *Non hoc*, quia sic hujus illuminationis nullus dari potest finis, cum concedatur à Controvertentibus proprium eas possidere lumen. Jam verò sicut omne agens agit propter finem, ita remoto fine cessat actio. E. illud. Manet itaq; Stellas fixas proprium possidere lumen aliôq; per se non indigere. *Stellæ Erraticæ* seu Planetæ excepto Sole lumen nativum non obtinent. Patet 1. *De Luna* quæ radios solares excipit & velut speculum eosdem ad terram transmittit, id quod confirmat (a.) *Corporis lunaris revolutio*, quod juxta diversum situm modò falcatum, modò rotundum apparet, quod tamen aliàs si per se lucidum foret non contingeret. (b.) *Ecclipsium constitutio*; Si enim corpus lunare foret lucidum nulla contingeret Ecclipsis, at hæc quia datur, sola Luna est in causa ob luminis frustrationem & opacitatem. (c.) *Frequens observationis executio*, monstravit hoc omnium luculentissimè Tubus Opticus, ex quo oculari observatione Lunam nullum habere lumen

lumen deprehensum est. 2. *De Venere* itidem certum, eam enim Anno 1610. sæpenumero per Conspicilla incrementa & decrementa passam vidisse testantur *Galilæus in Italia*, *Keplerus in Bohemia*, *Marius in Germania*, & ne quis fallaciam visus obtenderet, vel inde refutaretur, quod illa instrumenta eodem tempore in diversis instituta locis uniformiter phænomina præbuerint. 3. *De reliquis Planetis* res paulo est incertior, non tamen dubitandum, de iis idem fortean judicium esse ferendum, eò quod illi juxta observationes Galilæi quo propiores fuerint Terræ & ♂ ☉, eò fortiores resplenduerint. Sequitur ergò Stellas fixas lumine proprio gaudere, Planetas verò exceptο Sole eodem destitui.

*An Ebrietas Noachi inter peccata numeranda sit?*

Ut commodam hujus quæstionis decisionem expectemus distinguendum esse arbitramur inter *Ebrietatem* (laxiori dictionis παροινία si sumatur) *vel modicam* seu *saturitatis* quâ dona DEI citra abusum hilaritudine quadam pro lubitu, cum gratiarum actione consumuntur, tale poculum hilaritatis Deus non detestatur sed concedit; vel *immodicam* seu *crapulositatis* quæ duplex est, partim *actualis* & *improvisa* quæ non datâ operâ & ex προαιρεσει sed per eventum, appetitu instimulante committitur rarissimè: partim *habitualis* & *destinata*, quâ ex proposito neglectâq; officij sui ratione indies quispiam Cereri Bacchoq; litat. Utraq; quidem suâ naturâ est mala, interim verò *illa* quandoq; excusationem meretur; *hæc* verò nequaquam, est enim damnabilis (1.) *Ratione objecti* seu naturæ, quia vocatur ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς Gal. 5. v. 16. (2.) *Ratione adjuncti*, luxuriosa res vinum & tumultuosa ebrietas Prov. 20. v. 1. (3.) *Ratione effecti*, Vinum & Ebrietas auferunt cor Os. 4. & dementes Sapientes, Syr. 19. Dupliciter quippè hâc ebriositate homines peccant: & venenatam hanc peccatorum venam in visceribus suis fovendo, & ex illa causa pernitiosum effectum nempe scelus producendo. Hinc est quod *Indi* vitium ebrietatis tantoperè detestati sint, ut non solùm subditi sed & Reges morte plecterentur, ita etiam ut mulieribus quoq; sit concessum armatâ manu Principis arcem invadere, ipsumq; ebrium interficere, inter quas mulieres illam, quæ Regem ita prima aggredi audebat, Successor in Imperio Rex in matrimonium

nium ducere cogebatur ut refert *Alexand. ab Alexand.* l.3.c.11.Hisce jam præsuppositis dico quod *Ebrietas Noachi non fuerit* 1. *Ebrietas Saturitatis*,fuerat enim vini superabundantiâ convictus ut hinc in medio tabernaculi sui nudatus jacuerit Gen.9.v.21. Non 2. *Ebrietas Habitualis* convincit enim hanc (1.) *Mirabilis προφητία* quâ præco ille justitiæ Spiritum Sanctum non excussit, utpote cum iratam in Cainano maledictionem imprecatus fuerat,quæ sine operatione Spiritus sancti locum habere non potuisset. (2.) *Singularis παλιγοφορία:* Si enim tam grandis peccati contra conscientiam perpetrati sibi conscius fuisset, procul dubio Chami petulantiam non vituperasset, sed æquo animo eampse tolleraſſet patienti animo cum Rege Davide, cum à Simei contumeliis afficeretur dicendo: Sine illum maledicere quia Dominus jusit. Fuit igitur 3. *Ebrietas actualis* quam Noachus contraxit, *non ex malitiosa cordis præsumptione, sed ex nimiâ laboris defatigatione*, quâ dubio procul anhela, siti nimis oppressus aliquantò largius biberet, antequam vim vini persentiscceret, exinde tamen non diffitendum est ejus ebrietatem fuisse peccatum,à cujus suspicione quidam Patrum eum absolvunt, sed potiùs confitendum est fuisse illud *peccatum mortale*,non quidem *ratione Personæ* sed *ratione suæ naturæ.* Nam Persona quæ per fidem D E O placet sub gratia est,atq; sic venialiter peccat,qui verò sub lege est, (Hæc enim quodvis peccatum æternaturis ignis infernalis dignum pœnis pronuntiat) mortaliter peccat.

### *Qui fit quod nonnulli homines præ nimio timore moriantur?*

Respondeo quia Spiritus & calor simul omnis ob inopinatum timorem quo homo cohorrescere & stupescere incipit ad interiora cum impetu recurrentes, cordis thalamos distendunt, distentos prægravant, prægravatos frangunt, ut hinc homines vel in animi deliquium si totaliter non exspiraverint,vel mortem ipsam si penitus evolaverint continuò incurrat. Alij tamen causam ponunt in nimiâ cordis compressione, quâ Spiritus & calor Cordi inclusus maximè constringitur, ita, ut si eidem aër denegetur necesse sit hominem aut mori, aut deliquium pati.

# ANTILOGIA I.

## Partes Enuntiationis duæ sunt: & partes Enuntiationis duæ non sunt.

Disp. XI. *Respond.* Theophilo Franck. Fürstenwald. Marchiaco.

DIst: I. inter *partes Enuntiationis principales* seu essentiantes, quibus ipsa ἀποδῶς absolvitur: & inter partes Enuntiationis *minus principales* seu integrantes, quæ aut partes principales aut totam compositionem afficiunt & determinant: Dist. II. inter *partes Enuntiationis* vel *materiales* & ut quod, quæ materiam ejusdem constituunt suntq; aut *Signantes* ut Nomen & Verbum, aut *Signatæ* ut Subjectum & Prædicatum; vel *formales* & ut quo quæ formam Enuntiationis respiciunt. Dist. III. inter *unitatem significationis*, & *unitatem vocis*. Dist. IV. inter *partem* vel *strictè* vel *laxè* dictam, quæ ita dicitur quod qualicunq; modo ad aliquid concurrit. Sit hinc

Concl. I. *Partes Enuntiationis essentiantes & ut quod quoad unitatem significationis consideratæ sub mediatâ distributione tantum duæ sunt strictè dictæ.*

Dico *sub mediatâ distributione.* Cum enim partes materiales dispescuerimus in signantes & signatas, ac utraq; harum duobus constet membris, illæ simpliciter tali modo duæ sunt, secus enim si fieret, non duæ sed quatuor Enuntiationis materiales existerent partes. Igitur I. *Enuntiationis partes materiales signantes tantum duæ sunt.* Quæcunq; enim Enuntiationis partes solæ principaliter aliquid significant, adeoq; ex iis primò & per se orationes secundum duo signa componuntur, illæ duæ tantum sint necesse est. At Nomen & Verbum solæ principaliter aliquid significant adeoq; ex iis primò & per se orationes secundū duo signa componuntur. Ergò. Min. prob. quia præter duo prænominata Signa unitate significationis accepta nulla sit Enuntiationis partium signantium compositio;

quandoquidem omnis aptitudo signanter prædicandi Nomine & Verbo peragitur. Nam omne signum Enuntiationem ingrediens est aut categorematicum aut syncategorematicum. At Syncategoremata propositionē non constituunt, sed constituendam, ut constitutam determinant ac limitant. Quia ergo ista hoc oneri ferendo non sunt, sequitur sola signa categorematica quæ præter nomen & verbum non dantur, Enuntiationem constituere. II. *Enuntiationis partes materiales signatæ tantum duæ sunt.* Ubicunq; enim datur terminus prædicabilis, de alio enuntiari per copulam Est idoneus, ibi datur Enuntiatio duabus partibus subjecto & prædicato constans. Atqui, in omni Enuntiatione datur terminus prædicabilis de alio enuntiari per copulam Est idoneus. Ergò. Majoris consequentia nititur definitionibus: Subjectum enim Aristoteli l. 1. prior. anal. c. 1. dicitur τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται, id de quo dicitur aliquid: Prædicatum verò τὸ κατηγορούμενον, quod enuntiatur de alio. Min. prob. quia Enuntiatio nihil aliud est, quàm enuntiabilis terminorum per copulam Est complexio.

Concl. 2. *Partes Enuntiationis essentiales materiales junctæ sivè cum integrantibus, sive cum essentiantibus ut quod, vocis unitate consideratis, tantum duæ strictè dictæ non sunt.*

Prob. In quâcunq; enuntiatione dari possunt voces veris partibus commixtæ, ad easdem legitimè concurrentes ibi duæ partes strictè dictæ non sunt. Atqui in Enuntiatione dari possunt voces veris partibus commixtæ ad easdem legitimè concurrentes. Ergo. Min. prob. quia voces seu determinationes dari possunt, vel *purè formales* unicè modum & formam Enuntiandi afficientes, ut signa quantitativa tum universalia, tùm particularia: vel *purè materiales* ipsam materiam Enuntiationis concernentes, ut sunt limitationes, appositiones aut descriptiones terminorum, vel secundū alios *mixtæ* quæ partim ad formā Enuntiandi, partim ad materiā termini pertinent: ut sunt verba in Enuntiationibus posita, quæ prædicatum constituunt.

## ANTILOGIA. II.

Copula Est partem Enuntiationis constituit:

tuit: & copula Est partem Enuntiationis non constituit.

Dist. I. inter *partem Enuntiationis* aut *materialem*, materiam: aut *formalem*, formam Enuntiandi constituentem. Dist. II. inter *Enuntiationem ὑπαρκτικὴν* Binariam, prout constituit Est secundi adjecti quæ constat nomine & verbo ὑπαρκτικῷ est, nullo nomine post illud sequente: vel *συνδιαιρικὴν* Trinariam quæ dicitur Est tertii adjecti, in qua ponitur verbum substantivum, nomine alio post illud sequente. Dist. III. inter *copulam Est* sumptam vel *assumptivè* quoad primam vocis impositionem, quomodo nihil aliud quam unius cum alio connexionem denotat: vel *transsumptivè*, quà præter unionem simul actum existendi involvit.

## Concl. 1. *Copula Est transsumptivè sumpta de Est secundi adjecti, partem Enuntiationis & materialem & formalem constituit.*

Utrumq; probo. *Quoad prius* ita procedimus. Quandocunq; in aliqua Enuntiatione verbū Est non subsequitur prædicatū, tunc illa copula verum occupat locū prædicati, atq; exinde pars est materialis Enuntiationis. Jam verò id in Enuntiatione binaria contingit. Igitur partem materialem occupet necesse est. Major ex Jctorum patet axiomate: qui succedit in locum, succedit in jus. Minor per se sat firma. *Quoad posterius* ita colligo: Quodcunq; proximè fit unio partium Enuntiationis, ita ut per illam propositio in esse formali constituatur, illud partem propositionis constituit formalem. Atà copulà verbali Est, proximè fit unio partium Enuntiationis, ita ut per illam in esse formali constituatur Propositio. E. Min. prob. quia deficiente copula corruit propositionis essentia. Ubicunq; enim illa non adest per unionem, ibi nuda tantum extremorū manet positio, quæ Enuntiationem perfectè non dant, sed primæ tantùm mentis operationi adjudicantur. Præterea ut actus intellectus judicans hoc extremum esse illud, est formale propositionis mentalis: Sic copula hunc actum formans & medium ei præbens est formale vocalis. Hinc haud difficulter videre est, cur in conclusione dicatur copula

Est transsumptivè sumpta, etenim esse copulam assumptivè, & propositionis formalitatem constituere suo modo implicat.

## Concl. 2. *Copula Est assumptivè sumpta de Est tertii adjecti partem Enuntiationis materialem non constituit.*

Rationes damus quia 1. Enuntiatio tantùm in duas partes subjectum & prædicatum resolvitur. Ex quibus autem aliquid constituitur, tanquam ex partibus, in illa debet quoq; resolvi. Talis enim est resolutio, qualis est Entis constitutio. quia 2. sequeretur quatuor dandos esse in Syllogismo terminos, subjectum & prædicatum conclusionis, medium terminum & copulam. Jam verò ratio Syllogismorum id ipsum non permittit, sed contra præcipit, ut quivis syllogismus tantum tres habeat terminos, non plures, nec pauciores, ne connexio turbetur. quia 3. vinculum assumptivè sumptum pars partiũ esse nequit, ut Spiritus in homine dicitur vinculũ juxta nonnullos, nec tamen est pars partium, puta neq; corporis neq; animæ. Si autem non est pars partium, multo minus pars totius esse poterit; cum absurdâ planè ratione tribuatur toti, quod nullius est partis.

# ANTILOGIA III.

## Nomen ac Verbum sunt considerationis Logicæ: & Nomen ac Verbum considerationis Logicæ non sunt.

Dist. I. inter horum vocabulorum *τὸ materiale* seu rem consideratam; & inter vocum earum *τὸ formale*, seu modum considerandi. Dist. II. inter *Nomen* & *Verbum* considerata vel quoad *sermonis puritatem*: vel *quoad directivam rationis conformitatem* quâ inserviunt Enuntiationi Logicæ.

## Concl. 1. *Nomen & Verbum formaliter quoad directivam rationis conformitatem spectata sunt considerationis Logicæ.*

Datur enim terminus Logicus vocalis, Ergo dabitur & vocalis propositio. At *quævis propositio vocalis constituitur ex vocalibus terminis.*

minū. Cum enim propositio illa sit totum homogeneum, non potest constitui nisi ex vocibus simplicibus quæ sunt nomen & verbum. Nec est ut quis hîc objiciat, nomen & verbum eandem habere identitatem cum subjecto & prædicato, ac proinde eorum tractationem ex Logicis esse eliminandam soliq; Grammaticæ adjudicandam. Verum contra. 1. *Terminus signans non est signatus.* Nomen & Verbum sunt termini signantes. Subjectum & Prædicatum signati. Ergo Nomen & Verbum non sunt subjectum & Prædicatum. Major prob. Quia idem eodem modo nequit esse signum & signatum, constituunt enim affectionem Entis disjunctam, quæ identificè de se invicem prædicari nequeunt. Minor prob. quia subjectum & prædicatum sunt res, quæ affirmationem vel negationem admittunt; Nomen & Verbum sunt voces affirmatum vel negatum significantes. 2. Quæcunq; admittunt diversam definitionem, de se invicem simpliciter non enuntiabilem illa formaliter non identificantur, ac proinde non sunt unum quid. At subjectum & Prædicatum cum Nomine & Verbo non admittunt eandem definitionem, uti patet, quando verbum dicitur, quod sit nota prædicati. At *verè nota alicujus rei non potest esse res ipsa.* 3. Quæcunq; voces pertinent ad integritatem terminorum, sensumq; illum ex se progignunt, qui importari debet, & è quo veritas tàm formæ, quàm materiæ in Enuntiatione dependet, aut evidens redditur, illæ sunt considerationis Logicæ. At Nomen & Verbum sunt tales voces: quia ex ad & consignificare differentiam temporis quævis propositio dijudicatur. Major prob. cum enim Logica sit instrumentum veritatis absq; errore exactè & evidenter concludendæ, utiq; omne id à quô veritas aut signanter, aut instrumentaliter dependet, atq; evidens redditur logicè, necessarium est in aliqua enuntiatione.

## Concl. 2. *Nomen & Verbum materialiter accepta, ac quoad sermonis puritatem spectata, non sunt considerationis Logicæ.*

Patet. Ubicunq; nuda & materialis nominum datur attentio, suis terminationibus & inflexionibus ita informanda, ut tanquam ex octo partibus orationis, orationem quamvis congruè constituat,

ea tractationis Logicæ non est. At Nomen & Verbum materialiter ratione etymologiæ spectata sunt talia. Ergo. 2. Quodvis nomen ambiguum quà tale considerationis Logicæ directè non est, removet enim æquivoca tanquam terminos ineptos. At Grammatico veram orationis constituit partem, 3. Multa nomina grammatica possunt Logico esse verba, & contra, multa verba grammatica, Logico possunt esse nomina. At verò quod formaliter directionem rationis non perficit, id considerationis Logicæ minimè existit.

## ANTILOGIA IV.

### Enuntiatio affirmativa prior est negativa: Et Enuntiatio affirmativa negativa non est prior.

Dist. I. inter *Enuntiationem affirmativam* ac *negativam* considerata, vel *relativè* per ordinem ad oppositionem, vel *absolutè* ratione naturæ. Dist. II. inter *Enuntiationem affirmativam* & negativam spectatam vel in *esse producibili*, vel in *esse producto* ratione contradictionis in materia.

### Concl. 1. *Enuntiatio affirmativa absolutè ac in esse materiali producto spectata prior est negativâ.*

Idq; vel 1. *ratione præsuppositionis.* Negatio enim constitui quodammodo videtur ex affirmatione, quâ per additionē particulæ negativæ ad Enuntiationē affirmativam redditur Enuntiatio negativa. Quicquid autem rei in actu constitutæ supervenit, id ei posterius est naturâ. 2. *ratione intellectionis*, quia intellectus componit prius quam dividit, eò quod omnis divisio partium est disjunctio. Jam verò in Enuntiationibus componere nihil aliud est, quam affirmare, dividere negare. 3. *ratione actualis constitutionis.* Nam affirmatio rem ponit in esse. Negatio verò eam ab esse removet. Omne autem esse ἁπλῶς sumptum prius est ipso non esse, ideoq; & affirmativa Enuntiatio negativâ erit prior. Quandoquidem affirmatio est naturæ perficientis, negatio autem naturæ malignantis.

Concl. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0182
DFG

## Concl. 2. *Enuntiatio affirmativa relativè & in esse producibili spectata, negativâ non est prior.*

Dico. 1. *relativè spectata.* Cum enim affirmatio & negatio sint relata. Relata autem sint simul natura, sequitur affirmationem negatione non esse priorem, sed simul. Præterea negatio participat æquè primò naturam Enuntiationis, quàm affirmatio, utpotè cum dispositio extremorum in utraq; enuntiatione nequeat prius cogitari. Exæquo enim propositionis est negare ac affirmare, quicquid sit de eo quod genus propositio, sit notio secunda, & sic ens analogicum: quicquid item sit de affirmatione in actu exercito quæ prior negatione: quicquid de affirmato objectivè ut Ens, quod prius negato quod non Ens &c. vid. *Scheibl.* de prop. c. 1. n. 3. 4. 11. &c. Nec quod affirmatio adstruat & sic nobilior, negatio destruat & sic ignobilior sit univocationem tollit: quæ penes æqualem generis participationem non majorem aut minorem nobilitatem unius est desumenda ceu loquitur Dn. *Henr. Nicol.* Gym. log. diatr. 8. th. Dico 2. *in esse producibili* spectata *ratione generationis.* Nam primò esse lapidis posterius est τῷ non esse Lapidis intuendo ad ejus productionem. Ratio est quod omne ens prius è statu debilis entitatis ejiciatur, quàm ad statum perfectionis evehatur. At verò status debilis entitatis est negatio, perfectionis autem affirmatio, ille infert τὸ esse, hic non esse. Sequitur ergo ex hisce affirmativam enuntiationem suo modo negativâ non esse priorem.

# ANTILOGIA V.

## Propositiones signis universalibus notatæ, universales sunt; & Propositiones signis universalibus notatæ, universales non sunt

Dist. 1. inter *signa universalia*, quæ sunt vel διαιρετικὰ seu distributiva, cum Subjectum propositionis generaliter supponitur pro illis in quæ distribui potest, vel συλλεκτικὰ seu collectiva,

quæ

quæ congregationem vel partium collectionem denotant. Dist. II. inter signa *universalia distributiva*, quorum alia distribuuntur vel in *singula generum* quando singula generum seu specierum intelliguntur sub individuis: vel *in genera singulorum*, quando saltem certa genera seu ordines rerum indigitantur. Dist. III. inter *propositiones* universales *absolutas* & *determinatas* vel cum particula negante, vel sine particula negante.

Concl. 1. *Propositiones absolutæ signis universalibus notatæ, prout illa signa sunt distributiva in singula generum, omninò universales sunt.*

Prob: quicquid universaliter ex singulis generibus individualiter subsumi potest sine ulla conditione limitata, illud propositionem universalem facit omninò. Propositio enim quæ in singula inferiora sub subjecto contenta distribui potest, illa universalis sit necesse est. Atqui signa distributiva universalia propositionem efficientia sunt talia. Ergo. Sit exemplum. Omnis homo est animal. in hac propositione *nè* omnis, concludit de singulis individuis, quorum cum nullum ullam patiatur exceptionem, universalis propositio ut sit necesse est. Sin verò contingat, ut signum distributivum sit appositum prædicato tunc illud non quantitatem propositionis, sed tantùm ejus determinationem afficit, juxta canonem. *Vox alioqui syncategorematica, quando inseritur descriptioni Subjecti vel prædicati, non est signum, quod quantitatem indicet, sed pertinet ad determinationem ipsius termini complendam.* Ratio est, quia ejusmodi partem ipsius termini significat, non verò consignificat, vid. Joh. Willius Log. perip. p. 74.

Concl. 2. *Propositiones sive absolutæ signis universalibus notatæ, prout illa signa sunt in genera singulorum distributiva: sive determinatæ cum particula negativa, universales omninò non sunt.*

*Patet prius.* Quicquid sub certâ determinatione intelligendum venit,

venit, ac in nonnullis exceptionem patitur, id simpliciter universale non est. Atqui propositiones absolutæ signis universalibus notatæ prout illa signa sunt distributiva in genera singulorum sunt talia. Ergo. Min prob. Quia propositiones hæ non exhauriunt omnia singularia sub subjecto contenta. At quod de omnibus universaliter enuntiari nequit, intra Enuntiationis universalis complexū essendi æqualiter non includitur. Ita V. G. quando Christus dicitur curasse omnem languorem, utiq; tunc non cujuslibet individui morbos, sed omnes quoad genera singulorum sanavit. Hinc Germani commodè duobus vocabulis differentiam indigitant per seq. Alles vnd Allerley quod perquam bellè observavit Divus Megalander noster *Lutherus* in versione Biblica Germ. Math. 4. v 23. Christus heilet allerley Seuche vnd Kranckheit im Volck. Hûc non impertinenter revocari potest signū universale συνεκδοχικῶς acceptum, illud enim itidem universaliter absolutè non Enuntiationem, sed majorem partem tantùm subinfert. Sic cum Exod. 9. v. 6. dicitur וַיָּמָת כָּל מִקְנֵה מִצְרָיִם non utiq; omnia pecora, quandoquidem nonnullis in Israelitis persequendis utebantur, sed maxima & potior pars subinnuitur. *Posterius patet*, quia quædam dari possunt propositiones biparticulares sub istis v. g. non omnes homines sunt docti, æquipollet enim his duabus. Aliquis homo est doctus, & aliquis homo non est doctus, ut habet Scheibl. tract. log. de propos. m. p. 542. Dico autem *quædam propositiones*. Dantur enim propositiones etiam universaliter negativæ, ut Math. 24. v 22. nisi abbreviati fuissent dies non fieret salva omnis caro. i. e. nulla.

## Concl. 3. *Propositiones universales signis collectivis notatæ, strictè dictæ universales non sunt.*

Ratio est, quia maximam partem cum signis Synechdochicis conveniunt. At illa ominò universalia non sunt. Ergo nec hæc ominò universalia erunt. e. g. omnes Apostoli sunt duodecim, h. e. Apostoli in unum numerum collecti sunt duodecim. Sic falsa oritur argumentatio. Omnes planetæ sunt septem. Sol & Luna sunt planetæ. Ergo sunt septem. Sin verò contingat ut negatio ta-

libus signis vel præponatur vel postponatur, jam propositiones omninò erunt universaliter negantes ut docet Laur. Valla. l. 1. Dial. c. 6.

# AUCTARIA.

## An Somatomunitio (Germanis das Hartmachen) sit res licita?

Neg. Per Somatomunitionem nihil aliud intelligimus quàm artem magicam, quâ Magi corpora sua, ne ijs vel globi è bombarda emissi, vel ulli ictus hostiles nocumento sint ac detrimento præmuniunt. Hanc igitur ne ullus Christianus amplectetur, tria sunt quæ eidem contrariantur 1. *Dei tentatio*, quem offendit (1) *creationem primævam corrigendo*; Illi enim dum naturâ suâ quam Deus creaverat non sunt contenti, viam creationis perfectionem reddere student, cum tamen hoc ipso Deum impugnent, ejusq; sapientiam castigent. At Sapientiam divinam qui reformat, vitam æternam plenè vel penè reformidat. (2.) *ordinem naturæ pervertendo* Etenim Deus quia corpus humanum condidit, quod vi externâ lædi potuerat, homines isti tale quid aggrediuntur, quod viribus naturæ penitus est contrarium. Jam verò, ordinem naturæ qui pervertit, pervertendo exitium quærit. (3.) *Honorem ac gloriam Dei abscindendo*, quandocunq; enim Homo talis media illicita attentare præsumit, Deo in necessitatibus non confidit, si enim illi confideret, istud non perageret. At fiduciæ in Deum neglectio honoris è Divinitate est distractio. 2. *Animæ periclitatio*, Dum enim ἄπιστοι illi media non naturalia appetunt, ipsum Diabolum quærunt, siquidem res illas quæ à communi ordine naturæ planè abeunt, Deus nunquam procurat nisi ad illustrandum gloriam suam & ad propagandum cultus sui veritatem. Itaq; cum illa media non sint naturalia à Deo concessa sequitur illa esse à Diabolo quibus animis hominum insidiatur. 3. *Æterna damnatio*. Sicubi enim Dæmon Atheos illos ad se per hoc medium adlexerit, ut in illud firmum collocent præsidium, fit ut iisdem magis magisq; retias damnationis, de peccato in peccatum invehendo, tendat, usq; dum illi cum propria in ipsos sibi detur potestas, extremum salutis naufragium patiantur.

## An Torturæ in benè constituta Republica tolerari queant?

Dist. inter *Torturas moderatas* & *immoderatas*. *Immoderata* tollerari non

non possunt, est enim modus earum 1 *crudelis*, quia agnoscit causam sui efficientem, Diabolum, qui cum summè malus sit, nequit & illud esse bonum quod ab eo proficiscitur. Qualis enim causa, talis est & effectus. 2. *horribilis*, quia pœna excederet delictum, At omnis pœna delicto gravior est injusta. 3. *abominabilis*, eò quod homo, qui tamen ad imaginem Dei conditus est, intollerabilibus tormentis exagitatur; at nimius tormentorum cruciatus est inhumanus, humanitatis autem exuitio, rationis est privatio. *Moderatæ* verò tollerari possunt omninò, hisce tamen conditionibus suppositis, ut attendatur [1.] *Personarum qualitas*, non tantùm quoad Privilegia & executionem, sed & quoad robur & corporis constitutionem. [2.] *Delictorum enormitas*, non enim in delictis omnibus semper & promiscuè eodem modo est procedendum, sed habitâ ratione majoritatis & minoritatis pœna est aggravanda & mitiganda [3.] *Indiciorum firmitas*, nisi enim certa & indubitata adsint indicia, tortura non est præsumenda, siquidem propria confessio, vel metu torturæ vel ejus perpessione extorta, ad condemnationem neutiquam sufficit. Imò licet indicia nonnunquam sint sat firma, tamen semper circa Torturam magis peccandum est in defectu quam in excessu. Alij plures addunt conditiones, de quibus legantur *Guido de Suzaria* de Tort. *Laur. Arnold.* de quæst. & Tort, Ratio igitur quâ moderata Tortura contra *Wilhelm. Zepper.* in leg. Mos. explan. l. 5. c. 10. stabiliri queat, hæc est: Quicquid non repugnat principiis & Theologicis & politicis, id salvâ conscientia tollerari potest. Atqui Moderata tortura non repugnat principiis & Theologicis & Politicis. Ergo. Minor cum sit bimembris speciatim probabitur. *Moderata Tortura non contrariatur 1. Principiis Theologicis* Siquidem in Sacra Scriptura approbatur (1.) *Piorum propugnatio*, Exod. 23. v. 7. Si quandoquidem enim his malum obveniat, criminis autem Reus debitum confiteri nolit, utiq; sic nulla aliâ est insistendum viâ quâ Torturæ adhibitione (2.) *Facinorosarum incommissaratio*, sic enim habet Lex Deut. 19. v. 19. בְּעֵרְתָּ הָרָע מִקִּרְבֶּךָ, At homines quia suâ sponte nullum scelus confitentur, morte quod piandum esset, sequeretur ne unicum quidem puniri posse, licet delicta hominum maximè crescant. At crescentibus delictis crescunt & pœnæ.

(3.) tota-

(3.) *totalis impiorum extripatio*; At quî posset Magistratus sontes punire, si propriâ confessione seipsos non proderint. Quia igitur mandatis divinis satisfieri oportet, certò concluditur Torturam moderatam esse adhibendam. Non 2. *Principiis Politicis*, idq; (α.) *ob æquitatis observantiam*, cum enim malum perpetraverit Prævaricator, utiq; malum etiam patietur, quando quidem par pari est referendum. (β.) *ob damni impatientiam*, quia enim Magistratus est protector Bonorum & Vindicator malorum, aliter huic medio succurri non poterit quàm moderatâ Torturâ, ut insontis animus quiete donetur, Sontis verò corpus dolore afficiatur. Cum ergò principium illud: *Neminem ladito* attendere noluerit, justè utiq; eodem principio torquetur. (γ.) *ob mali propositi desistentiam*. Etenim si gravia delicta gravibus non plecterentur tormentis, illa nimis ingravescerent, ut hinc vel nemo sui proprii corporis domicilium sartum tectum reservari queat. Igitur cum ab omnibus ejusmodi malis meritò præcavendum sit, utiq; Torturam moderatam tollerari posse, vix erit qui inficias est iturus.

## *Quî fit quod Ligna in Sylvis secta, citius percipiantur visu quam auditu?*

Rationes hujus quæsiti hæ sunt 1. *Major Spirituum Subtilitas*. Spiritus enim ad oculos delati subtiliores & velociores existunt ijs qui deferuntur ad aures, sunt enim hi magis materiales, ac proinde morâ quadam ac successione sonum per aêrem ad auditum devehunt, non secus ac lapillus super aquam projectus eandem multis gyris successivè dilatare assolet. 2. *Major cum interioribus sensibus propinquitas*. Sunt enim oculi partibus cerebri interioribus propinquiores, aures autem ab iisdem remotiores, ob aurium meatus anfractuosiores, & sinuosos, in quibus cum per quandam immorationem usq; dum ad tympanum veneant, detineantur, sequitur sonum in auribus non æquè cito percipi posse quam visu. 3. *Major objecti receptivitas*. Visus enim objectum per lineas rectas è directo recipit, auditus autem illud per lineas obliquas suscipit. Sensibus autem rectâ quod objicitur, citius eo quod fit obliquè percipitur.

Idem esto judicium de hac quæstione: *Cur citius percipiatur fulgur quàm Tonitru*, cum tamen utrumq; eodem contingat tempore.



# ANTILOGIA I.

Disp. XII. *Respond.* Johanne Steudnero Boleslaviensi Silesio.

## Propositio indefinita peculiarem speciem propositionis constituit. Et propositio indefinita peculiarem propositionis speciem non constituit.

DIst: I. inter *Propositionē indefinitā*, quæ considerari potest partim γραμματικῶς & notionaliter *ratione formæ vel signi* quomodo definitur quod per certam quantitatem non sit determinata, sed careat προσδιορισμῶ quantitatis; partim πραγματικῶς & realiter *ratione attributionis & materiæ*, quando quamvis Enuntiationis materiem induere potis est. Dist. II: inter propositionem indefinitam, vel quatenus est rereduplicativa, quæ est propositio reduplicativa in quâ dictio reduplicans addit & ostendit causam per quam prædicatum insit subjecto; vel quatenus reduplicationis nota caret.

### Concl. I. *Propositio indefinita sive spectetur notionaliter ratione quantitatis sive prout cum propositione reduplicativa coincidit peculiarem propositionis speciem constituit.*

Probo I. quoad *membrum prius*. Etenim Enuntiatio secundum quantitatem spectata, aut pure dividitur juxta signa quantitativa, aut dividitur ut quædam propositiones illa signa actualiter non includunt. Non priori modo, quia sic etiam removeretur propositio singularis. Si posteriori modo, utiq; Enuntiatio indefinita erit retinenda, quia hæc adhuc modaliter â propositione singulari discernitur. Si ergò propositio singularis retinetur in divisione Enuntiationum quantitativa, cum tamen signo careat, quî ergo Enuntiatio

indefinita extirpanda erit, utpote cum eandem habeat paritatem. At de paribus idem esto judiciū. Probo II. quoad *membrū posterius*: Quæcunq; propositionum forma reducibilis est neq; ad Enuntiationem particularem, neq; ad universalem, neq: ad singularem, illa peculiarem propositionis constituit speciem. At propositio indefinita ut ad reduplicativam æquipollet, neq; ad universalem neq; ad particularem referri potest. Ergo. Min: prob: quia hæc propositio: *Ens quatenus ens est subjectum Metaph:* nequit reduci ad propositionem 1: *Universalem*, quia esse subjectum Metaph: non convenit omni enti secus tot forent subjecta, quot Entia, utdocet Gutkius Syn: Log: pag: 333. 2. *Particularem*, quia dicere non licet, quoddam Ens est subjectum Metaph. 3. *Singularem*, quia Ens in dividuificum non exhaurit omnem Entis latitudinem. Ergò erit infinita non quidem prout per defectum signi definitur, sed prout in nonnullis habilitatem signa induendi removet, in alijs verò per non repugnantiam signa induendi sustinet.

## Concl: 2. *Propositio indefinita realiter spectata, & prout caret notâ reduplicativâ, peculiarem propositionis non constituit speciem.*

Patet, quia 1. in non reduplicativis propositionibus indefinita ab universalibus & particularibus materialiter non distinguitur, nisi formaliter & ratione signi. At signum est aliquid extra essentiale in materia. Signum enim, ut inquit Crell: Log: Part: com. l: 2. c: 3. non afficit enuntiationem universalem, sed indicio est eam universè usurpari, quæ causa est cur signum appelletur. Et Arist: l: de interp: c: 5. §. 3: τὸ πᾶν ἢ καθόλε σημαίνει, ἀλλ' ὅτι καθόλε: id est: omnis non notat rem universalem, sed quod sit universale. Igitur materialiter Enuntiationis speciem non constituit. quia 2: Omnis Enuntiatio vel est in materiâ necessaria, vel in materia contingenti; Si in materia necessaria est illa vel specifica vel individuifica. Jam verò si propositio indefinita est in materiâ necessariâ specificâ, fit universalis, v. g. Homo est mendax Hinc est quod Scalig: ex. 111. l. 2. in hæc verba erumpat: Philosophi cum dicunt speciem, idem intelligunt atq; totam speciem. Idem enim est homo & omnis homo:

ὁ ἄν-

ὁ ἄνθρωπος, ὅπερ ἐπᾶς ἄνθρωπος, τὸ ὂν καὶ πάντα ὄντα: si in materiâ necessariâ individuifica fit singularis, ut, Homo est Deus. Si in materiâ contingenti fit particularis, ut, Cretenses sunt mendaces, intellige non omnes, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ h; e: ut plurimum, seu maximâ ex parte.

## ANTILOGIA II.

### Propositio singularis ad Universalem æquipollet: Et: Propositio singularis ad Universalem non æquipollet.

Dist: I: inter *considerationem* propositionis *singularis* vel *solitariam*, ut in se est, vel *sociam* prout cum enuntiationibus diversæ quantitatis concurrit. Dist: II. inter *propositionem singularem* quatenus illa vel extra Syllogismum perficitur, vel intra Syllogismum, tùm constituendum, tùm reducendum redigitur.

### Concl: I: *Propositio singularis sociè intra Syllogismum sumpta ad Universalem æquipollet.*

Quarumcunq; propositionum ad modum totius datur significatio, illarum ad universalem datur æquipollentia. Atqui propositionum singularium ad modum totius datur significatio. Ergo. Major probatur: quicquid enuntiatur ut totum quoddam universale, id prædicatur universaliter, siquidem modum dicendi sequitur modus prædicandi. Min: probatur: quia propositio singularis per modum totius habilis redditur, ut ex eâ fieri queat illatio, uti fit in Syllogismo expositorio. Quia itaq; in Syllogismo expositorio datur illatio legitima utiq; ille Syllogismus exponendus erit per propositiones aut *particulares* aut *Universales*. Non *particulares* habent enim illæ pro subjecto quid confusum & vagum in quo æquivocatio plerumq; latet, at ubi propositionis est æquivocatio ibi ejusdem duplex occurit expositio, de uno per affirmationem, de alio per negationem vera; Ubicunq; autem medio termino inest ambiguitas, ibi consequentiæ inhæret vitiositas, ita ut inde ex puris particularibus nil inferri queat. Ergò per propositiones universales, siquidem in primâ figura particularis propositio admitti non debet.

Concl: 2: *Propositio singularis solitarie extra Syllogismum sumpta ad universalem Enuntiationem non æquipollet.*

Prob: 1. *â Subjecti propositionalis diversitate.* Etenim in propositione universali est ens universale. Arist: l: de interp: c. 2. Propositionis autem singularis est ens singulare. At quæ objecti agnoscunt diversitatẽ ea ad unitatis formalis non rediguntur identitatem. 2. *â modi prædicandi disparitate.* Nam subjectum propositionis singularis in quantum tale determinationem signorum quantitatis ferre nequit. At universalis propositio his maximè delectatur. Undè ubi particularum universalium occurrit acceptio, ibi subjectorum fit distributio. At individuum in plura subjecta non est dividuum. 3. *â prædicati propositionalis varietate.* Potest enim prædicatum Propositionis singularis esse vel commune, ut Paulus est homo: vel proprium ut, Paulus non est Johannes.

## ANTILOGIA III.

Propositio modalis quatuor est affecta modis: Et Propositio modalis quatuor modis non est affecta.

Dist: I: inter modum propositionum aut *materialem* quæ concernit materiam Propositionis, aut *formalem*, quæ subjectum vel prædicatum propositionis modificat. Dist: II. inter *modificationem propositionum subjectivam* quâ solum propositionis afficitur subjectum, & inter modificationem *dispositivam* quâ integræ propositionis forma secundum dispositionem attenditur.

Concl: 1: *Propositio modalis formalis quatuor est affecta modis dispositivis.*

Ubicunq; datur peculiaris, diversa, ac enuntiativa modificationis ratio cohærentiam subjecti cum prædicato quadrupliciter afficiens, ibi datur propositio quatuor affecta modis. At in propositione modali datur enuntiabilis & diversa modificandi ratio cohærentiam subjecti cum prædicato quadrupliciter afficiens. Ergo. Major est ἀξιώπτος, Min. prob: Omnis propositionum modificatio, aut sub-

subinfert rerum *immutabilitatem* aut *mutabilitatem*. Si immutabilitatem est illa aut in *essendo* aut in *non essendo*. ibi oritur modus necesse, hic impossibile. Si mutabilitatem est ea itidem vel in esse & dicitur Contingens vel in esse & dicitur possibile. Undè quæcunq; enuntiabilis partium dispositio certis modis est affecta, illa constituit propositionem modalem formalem. Atqui quatuor modi prædicti afficiunt enuntiationemveris ac certis modis disponibilem. Ergò constituent Propositionem formalem. Porrò. Omnis propositio modalis formalis afficit propositionem per modos dispositivos. Atqui quatuor prædicti modi constituunt propositionem formalem Ergò. Major patet, quia omnis forma propositionum consistit in accurata earundem dispositione. Minor ex dictis constat.

## Concl. 2. *Propositio modalis materialis quatuor modis dispositivis non est affecta.*

Patet. quia Modi apud Arist: l: de Interp: c: 12: definiuntur: προσθέσεις δορίζουσι, ὥσπερ ἐπὶ ἐκείνων τὸ εἶναι καὶ μὴ εἶναι τὸ ἀληθες καὶ ψευδὲς h:e: Modi sunt additamenta determinantia quomodo in illis sit esse, & non esse, verum & falsum. Igitur infero. Quæcunq; particulæ modificantes multifariam aut materiam propositionis modificant, aut habitudinem totius enuntiationis ad rem enuntiandam solùm exprimunt, aut compositionem dicti in se tantùm per modum ad intellectum nostrum determinant, illæ quatuor modis dispositivis non afficiuntur. Ratio connexionis est, quia propositio modalis formaliter affecta solùm Dicti limitationem compositionis in se importat, quâ à modis materialibus discernitur. Min: prob: quia particulæ modificantes materiales absolvuntur modis vel *adjectivo-nominalibus*, ut verum & falsum, vel *adverbialibus qualitativis*, ut sapienter, subtiliter, doctè, bene &c. vel *impersonalibus*, ut scitum est, auditum est, compertum est &c. Jam verò constituere modificationem materialem & absolvi modis dispositivis eodem modo maximè inter se distinguuntur, igitur cum totuplex detur modificationis in materiâ varietas modos dispositivos quatuor non habebunt, id quod erat probandum.

## ANTILOGIA IV.

Propositio exclusiva quodvis excludit. Et

## Propositio exclusiva non quodvis excludit.

Dist: I. inter *Enuntiationem exclusivam* quæ est vel *exclusiva subjecti* quæ omnia subjecta à participatione prædicati; vel *exclusiva prædicati* quæ omnia prædicata excludit à participatione subjecti. Dist: II: inter *Enuntiationem exclusivam*, quæ vel *simpliciter* aliquid excludit, vel quæ in *certo genere* & certo respectu aliquid excludit.

Concl: 1: *Propositio exclusiva simpliciter talis, quodvis si particula exclusiva sit in subjecto à subjecto, si verò in prædicato quodvis excludit à prædicato.*

Quæcunq; particulæ ferri possunt super enuntiationis partem, aut subjectivam, aut prædicativam simpliciter, illæ quodvis ab ejusdem communione excludunt. Atqui particulæ exclusivæ super partem Enuntiationis aut subjectivam, aut prædicativam ferri possunt. Ergo. Major patescit: quando prædicatum aliquod convenit alteri ratione essentiæ, tùm nulla exclusiva particula potest removere subjecta quæ essentiam illam participant. Prædicata enim essentialia communia sunt omnibus quibus essentia competit. Minor probatur: Ubicunq; particula exclusiva simpliciter vel ponitur ante subjectum propositionis, vel etiam sequitur copulam, ibi reliquorum exclusio ut fiat necessè est. At verò utrumq; id evenit in enuntiatione exclusivâ cum subjecti, tùm prædicati. Ergò. Notes autem quod in omni enuntiatione duo observanda sint. 1: *Oratio absoluta*, quæ aliàs dici solet præjacens, quod præjaciat, vel subjecto, vel prædicato. 2: *vi exclusiva* seu determinatio per exclusionem facta. Et hinc vulgò resolvitur propositio ad duas simplices orationes implicitè factas. Sit Exemplum, solus canis latrat: Hæc resolvitur in sequentes: 1: Canis latrat. 2. Quod non est canis, non latrat. Item: Tantum substantia non est in subjecto, h. e. substantia non est in subjecto, & omne quod non est substantia est in subjecto. vid: Dn: Scharf. in inst: Log: l. 2. c. 7. pag. 395. Et Manuale Log: lib. 2. c. 5. p. 120.

Concl. 2. *Propositio exclusiva in certo genere talis non quodvis excludit à communione ejusdem.*

Quæ-

Quæcunq; particulæ in oppositione tantùm terminantur ad heterogenea sivè ad ea, quæ sunt diversi generis, illæ non excludunt necessariò connexa aut subordinata sub eodem genere. At in quibusdam propositionibus exclusivis particulæ exclusivæ tantum terminantur ad heterogenea. Ergo. Minor probatur, ex hoc exemplo. *Sola fides justificat*, ubi particula solus tantùm excludit heterogenea, non verò concomitantia. Fides enim cum justificet per modum apprehendentis vel accipientis, non potest ergò excludere ea, quæ justificant per modum offerentis vel dantis. Non igitur opponitur illa particula divinæ gratiæ, sed tantum nostris operibus. Quandoquidem termini exclusivi non designant hoc loco negationem associationis, sed non participationem prædicati & subjecti denotant. Item, Exclusio non quodvis excludit, sed quod extraneum & alienum est. Causa rei hæc est, quod ad veritatem propositionis non requiratur ut prædicatum conveniat subjecto secundum omne id, quod significatur aut implicatur in subjecto, sed sufficit, si conveniant ipsa, secundum id, quod per ipsum importatur, uti docet acutiss: Dn. Stahlius reg: phil: 5. tit. 20.

## ANTILOGIA V.

### Æquipollentia propositionum habet idem subjectum & prædicatum. Et Æquipollentia propositionum non habet idem subj: & prædicatum.

Dist: I: inter æquipollentiam propositionum vel *generalem*, quâ non respicitur ad dispositionem subjecti & prædicati, sed simpliciter ad identitatem sensus: vel *specialem*, in quâ non tantùm ad identitatem sensûs totius propositionis attenditur; sed etiam ad identitatem sensus subjectorum & prædicatorum. Dist: II. inter *æquipollentiam propositionum* quatenus illa spectatur aut *independenter* & in sese citra structuræ Syllogisticæ ordinationem, aut *dirigenter* dum γενικῶς in formam Syllogisticam est collocanda.

Concl: I: *Æquipollentia propositionum specialis quatenus directivè in formam Syllogisticam*

*cam est ordinanda, habet idem subjectum & prædicatum.*

Probo 1. ab *inconvenientiâ*. Ubicunq; enim subjectum propositionum ratione significationis mutatur in prædicatum, & contra prædicatum propositionum ratione significationis mutatur in subjectum, ibi datur propositionum diversitas. Ratio est, quia transpositio & mutatio subjectorum & prædicatorum faciunt propositionum in sensu differentiam. Unde ita infero. Quarumcunq; propositionum quoad substitutionem in sensu datur diversitas, ibi mutatur structura Syllogistica, atq; ita Syllogismus non est idem, sed diversus. At in propositionibus æquipollentibus quoad substitutionem in sensu datur diversitas. Ergò. Min: probatur: quia æquipollentia Enuntiationum ad ordinationem Syllogisticam ideò instituitur, ut in eâdem in locum propositionis obscuræ substitui possit, æquipollens clara & manifesta. Jam verò cum propositio sub mutabilitate tàm subjectiva, quàm prædicativa consistat, sequitur hâc ratione, ut æquipollentia propositionum habeat subjecti & prædicati non diversitatem, sed identitatem. 2. *â significationis indiscrepantiâ*: Quicquid propositionum materiale in significatione reddit invariabile, illud retinet subjecti & prædicati identitatem. Atqui propositionum æquipollentia materiale significativum propositionis reddit invariabile. Ergò. Major probatur, quia diversitas propositionis propositionem facit mutabilem. Minor patet ex criterijs propositionum æquipollentium quorum tria numerantur. (1.) *Duarum vel plurium propositionum aggregatio*; quæ æquipollentes dici queant. Ita nempè æquipollens dicitur per ordinem ad aliud, cui æquipolleat. (2.) *Verborum in propositionibus discrepatio*; Ubi enim verba sunt eadem propositionem nullâ ratione immutantia & variantia, exspirat totius propositionis æquipollentia. (3.) *Sensûs & significationis immutatio*; Hoc enim respectu virtus ἰσοδυναμίας obtinetur ut habeat eundem sensum, eandemq; significationem, licet una alterâ possit fieri ἐμφατικώτερος. 3. *â signorum modificantia*. Quæcunq; propositionum signa nudè formam enuntiandi in seriem Syllogismorum redigendam sine reali varietate afficiunt, illa idem subjectum & prædicatum retinent. Atqui signa æquipollentia

tia formam enuntiandi in seriem Syllogismorum redigendam sine reali varietate afficiunt. Ergò. Minor patet, quia signa Enuntiationis essentiam non immutant, sed qualificant.

Concl: 2: *Æquipollentia propositionum generalis quatenus independenter extra structuram Syllogisticam spectatur, non habet idem subjectum & prædicatum.*

Hoc ut obtineamus ita argumentando progredimur. Ubicunq; datur propositionum discrepantium convenientia in sensu, ibi datur æquipollentia. Atqui quædam propositiones diversa subjecta & prædicata habentes verbis discrepant & sensu conveniunt. Ergo in nonnullis propositionibus diversa subjecta & prædicata habentibus est æquipollentia. Major ex definitione certificatur. Minor probatur exemplo: v. g. *Paries est albus*: hæc propositio æquipollet huic; *albedo est in pariete*. Est enim hæc illius ἐξηγητικὴ: At subjecta sic sunt diversa: in illâ subjectum est paries, in hâc albedo: in illâ prædicatum est album esse: in hâc in pariete esse: vide Jacob: Mart, prælect: Extemp: in Syst: Log: Kek: l. 2. Sect: 1. c. 5. p: 491.

## COROLLARIA.

*Quænam est Causa Scintillationis Stellarum?*

Causa Scintillationis Stellarum aut *extrinsecè* extra Stellarum corpora, aut *intrinsecè* in ipsis Stellarum corporibus erit indaganda. Non *illud* quia inquirenda foret ejus ratio vel *in æthere* vel *in aëre*. Non *in Æthere*. Oriretur enim illa aut *ex radiorum solarium reflexione*, aut *ex momentanea Cæli revolutione* aut *ex nimia corporum elongatione* seu distantia. Non 1. *ex radiorum solarium reflexione*, nititur enim hæc sententia (1.) *Hypotheseos falsitate*, videlicet Stellas fixas lumen suum à Sole mutuari, quam refutavimus in illa quæstione: *An Stellæ proprio gaudeant lumine*: (2.) *opticæ cognitionis infirmitate*, ex qua constat radium unum sensibiliter alium turbare non posse. (3.) *consequentiæ absurditate*, id enim si verum, sequeretur Lunam plus magisvè ullâ Stellarum micaturam, dum in ea radii solares copiosissimè collecti ad oculos nostros deferuntur, id quod con-

tra experientiam. Non 2. *ex momentanea cæli revolutione*, hæc enim non existit uti alibi probatum. At remotâ causâ removetur effectus Prætereà radius radium non impedit, estq; mota radiatio momentanea ad sensum uti constat ex Opticis. At hoc quia certum, unica duntaxat orietur radiatio ad oculum, radiationis enim ubi non est mutatio, specierum non occurrit profectio, siquidem mutato lucente objecto solum mutatur specierum profectio. Non 3. *ex nimia Stellarum elongatione*, quia sic omnes Stellæ in æqualitate distantes, uno prorsus modo micarent, quod tamen visu non observatur. Non *in Aere*, propter vaporum commotionem; Sic enim Planetæ cum sibi proximis Stellis fixis perinde scintillarent ob vaporum æqualitatem inter oculos & Stellas diffusam. Si *hoc*, utiq; sic in causa erit, vel *Stellarum parvitas*, vel *earum corporeitas*. Non *istud* quia Experientia testatur, Stellas quasdam minutissimas in via lactea reperiri, quæ multò magis majoribus scintillant. Ergò tandem in causa erit *Stellarum corporeitas lumine proprio gaudens*, hæc enim quia peripheriâ circulari non terminatur, instar fulgoris radios quosdam circumcirca vibrantes emittit, qui non in aëre sed in in aura efformantur ætherea, id quod satis demonstrat Perspicillorum Natura, quæ lumen extrinsecus adveniens oculorum obtutui non repræsentat, id quod probatissimi indicant Mathematici, dum aliquot diebus post Novilunium lumen Lunæ ex reflexione ortum videre non licet ex Perspicillis, quod tamen sine eorundem adminiculo oculis deprehenditur. Videatur Excellentiss. Borussorum hoc sedulo Mathematicus, *Dn. M. Albert. Linemannus* in Fastis ad Annum 41. directis, pluribus hanc materiam deducens, ubi tandem modum hujus Scintillationis assignat, cujus propria non sine singulari ratione verba hèc abscribere allubescit: Es scheinet vrsachlicher seyn zu sagen/ wie nehmlich die Fixsterne eine leuchtende materiam aus jhren Cörpern schiessen/ mit zurück ziehung der zuvor außgeschossenen materiæ, das es aber eine materialische vibratio sey / folget nothwendig / weyl in aura ætherea keine reflexio luminis mag bejahet werden: zergehnn gar leicht/ denn es ist keine einigung eynerley materiæ verhanden: Sie

fun-

funckeln oder glinzern sehr / wegen der schiessenden Sternen materiæ, woraus sie entstanden: sind unbeweglich/wegen der Natur der Corporum woraus die materia: werden endlich in der Milchstraas generirt, weyll alda die menge solcher Stern verhanden/auß deren vibratio ein solches herrühren könne.

*An præter Lunam ullus Planetarum ab umbra Terræ ecclipsari queat?*

In negativam descendimus sententiam; facile enim id apparet ex Perspectiva ubi umbra terrestris Globi sit major, quo longius Lumen majus distat, quò propius autem illi appropinquat fit minor; Distantem igitur hujus Umbræ longitudinem quanta sit accurate id ipsum indagavit Nobilissimus *Tycho Brahe* probans Umbram Terræ (1.) *in maxima Solis altitudine*, quæ contingit tempore Johannis, longam esse 283. Semidiam. Terræ seu 243380. milliar. Germ. (2.) *in minima Solis altitudine*, quando Terræ est proximior videlicet tempore Natalitiorum 263. Sem. T seu 227172. Mill. germ. (3) *in media Solis altitudine* 273. seu 231872. milliar. germ. Vid. *Crug.* Calend. Anno 20. q. 7. *De superioribus Planetis* res est extra dubium. Etenim *Saturnus* juxta nonnullos distat à Terra 14880. Sem. T. seu 1279680o. Mill. Germ: (b.) *Jupiter* distat à Terra 8091. S. T. seu 6958260. Mill. Germ. (c.) *Mars* distat à Terra 2257. S. T. seu 1956500 Mill. Ger. *De Inferioribus Planetis* videl: ♀ & ☿ dubium manet *utrum hi ab umbra Terræ ecclipsari queant*? N. quia [1.] ☿ maxima distantia à Terra juxta Tychonem est 1551, minima autem distantia à Terra 733 S. T. at hujus Semidiametri Umbram Telluris excedunt. Cum ergo ☿ ecclipsari nequeat utiq; nec ♀ à Terra obumbrari poterit, hæc enim ☿ est major & à Terra remotior. quia [2.] hi Planetæ centrum suum agnoscunt ☉ quo aliquando altiores, aliquando inferiores existunt ita ut ♀ nunquam 45. ☿ 28. gr. à Sole excurrant, quî ergo ab Umbra Terræ ecclipsari poterunt?

*An Venditor Emptori vitium rei venalitiæ indicare ac exponere teneatur?*

Dist: inter *Vitia rei venalis* quorum alia sunt *occulta*, alia *manifesta*. *Priora* Venditor indicare tenetur, idq; 1. *ob Juris æquitatem*, siquidem

siquidem Justitia, commutativa proportionabilem rerum commutandarum requirit æquivalentiam, at si quis solius lucri causa vitia exponenda reticet, is stricti juris violator existit. 2. *ob defraudationis iniquitatem.* Damnat enim hanc (1) *Scripturæ Sacræ præcellentia*, idq; partim *explicitè* 1. Thess. 4. v. 6. τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, διότι ὁ Κύριος περὶ πάντων τούτων. partim *implicitè*, quod contingit (a) *Homines ad dilectionem instigando*, Math. 19. v. 19. At Decipere non est diligere (b) *Homines à rebus mundanis avocando*, tum *Dicti* Math. 6. v. 33, tū *Parabolis* Math. 13. v. 44. & 45. c. 22. v. 2. & 3. (c) *Homines ne in ejusmodi rebus fiduciam collocent dehortando* 1. Cor. 7. v. 30. & 31. (2.) *Propria Conscientia.* Cum enim Christianus cum Christiano amoris vinculo in Christo sit obstrictus, utiq; sic qui decepit proximum, Christum decepit ob spiritualem cum illo unionem. (3.) *communis exemplorum experientia*, quæ testatur homines tales in exhalando extremo vitæ spiritu peccatis & factis ejusmodi miserè fuisse cruciatos. 3. *ob studii diteſcendi malignitatem.* Hoc enim quia vitium per se est, fit ut is homo locupletatione ex damno Proximi conquisita, vitium vitio aggravet. At omne vitium quo majus, eò detestabilius. *Posterior* Venditor indicare non tenetur, quia vitia rei venalis inquirere proprium est emptoris. Liberum enim ipsi cum sit rem venalitiam probè perpendere & inspicere, inspectam emere, vel non emere, *non Venditori* sed *sibi* culpam imputet. Non *Venditori*, quia hic fruitur præcepto juris, à quo si expositionem professus fuerit decedit tanquam jure sibi proprio. *Sibi* ergò culpam imputet ob desidiam. Desidioso autem nulla fit injuria. Sin verò contingat ut Emptor Venditori confidens ob temporis penuriam merces intueri non ratus fuerit, tum huic incumbit etiam manifesta indicare.

*Cur caput animalis inter dormiendum non rectum manet sed deorsum vergit?*

Resp. quia vaporum copia id refrigerat valdè & aggravat; sicut enim calor cum paucitate vaporum vel humorum est causa levitatis & erectionis. Ita frigiditas cum copia vaporum & humorum est causa gravitatis & depressionis capitis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0200
DFG

# ANTILOGIA I.

Disp. XIII. Respond: Christophoro Raben. Reg: Borusso.

## Discursus tertiæ mentis operationi est proprius : & Discursus tertiæ mentis operationi non est proprius.

Disting. I. inter *discursum*, qui vel *illativus* unius ex alio collectionem ex datis præmissis importans: vel *ordinativus* congruam rerum tractandarum ordinationem cõmonstrans : vel *ab utroq; præcisus, commodam* notioris ad ignotum illationem indigitans: dist: II. inter *discursum formaliter* seu in actû signatô, & eundem spectatum *materialiter*, sive in actû exercitô, quando in innumeris penè materiis diverticulum quærit, sic ICtus materiam quandam de usû-capionibus, de feudis, de hæreditationibus juridicum, Theologus disertationem de lapsû primorum parentũ theologicum, Metaphysicus suppositalitatis rationem indagans metaphysicum dicitur instituisse discursum. Hiscè præmissis distinctas more consueto formabimus conclusiones ab ἄρσιν ad θέσιν progrediendo.

### Concl: I. *Discursus neq; materialiter & in actû exercitô, neq; formaliter spectatus prout est vel illativus, vel ordinativus solùm tertiæ mentis operationi est proprius.*

Non I. *materialiter*, ita enim enormis in Logicam introduceretur confusio omnem materiei realis varietatem in unum compingens; At hæc ceu mater errorum sedulò vitanda. Præterea notiones primas cum secundis permiscere, uti foret Συδηεόξυλον ita-

vel hîc maximoperè præcavendum. Non 2. *formaliter* prout (α) *discursum illativum solùm designat.* Hîc enim tantummodò partem absolvens judicii discursivi, totum in suô genere adhuc incompletudinaliter sistit: At verò totum parte integrali destitutum totum adæquatè non dicitur. Quod verò discursus illativus tertium mentis actum totaliter non absolvat, inde probo: quia triplex mentis functio Logicum exhaurit Objectum, uti probatum disp. 3. Antil. 5. Quia ergò methodus distinctum Logices est medium, quod infra probatum dabimus, utiq; uni intellectûs functioni erit adjudicanda; ast nec primæ, nec secundæ, uti in confessô. Ergò relinquitur, quod ejus sedes sit in tertiâ functione, quam discursus illativus absque ordinativô solitariè non constituit. Neq; (β) *prout discursum ordinativum tantùm indigitat.* Hic enim est species opposita sub disjunctione unius generis: Specierum verò oppositarum ea est natura, ut positâ unâ ponatur & altera; Manet ergò discursum neutrô modô in sensû disjunctô tertiæ mentis operationi esse proprium. Ubi tamen notes velim, quod *per esse proprium* hôc locô non intelligatur id, quod quavis ratione rei alicui attribui possit, sed quod rem ὁλικῶς & adæquatè commensurat.

## Concl: 2. *Discursus formaliter spectatus, isq; ab illativô ac ordinativô præcisus, tertiæ mentis operationi est proprius.*

Probo. Quicunq; conceptus formaliter utq; præcisus ab omnibus inferioribus spectatur, ac tanquàm complexum quoddam cum dependentiâ causali δεσμικῶς indigitatur, is tertiæ mentis operationi Logicæ fit proprius; Atqui discursus formaliter, seu in actû signatô, utq; ab inferioribus præcisus tanquàm complexum quoddam cum dependentiâ causali δεσμικῶς indigitatur, Ergò. Minor probatur, quia in utroq; discursû coordinatio datur, in illativô quidem terminorum, & propositionum: In ordinativô autem præceptorum rerumq;. Accedit & hoc, quod positis omnibus speciebus, ponatur & genus Cum verò discursus prænominatus tertiæ mentis operationi adjudicetur, sequitur, quod & ipsum genus inibi pertractandum sit.

ANTI-

# ANTILOGIA II.

## Oratio verum genus est Syllogismi: Et Oratio verum genus Syllogismi non est.

Dist. I. inter *orationem*, quæ est vel *Grammatica*, cujus juxta diversitatem linguarum distinctæ enumerantur partes: vel *Rhetorica*, quæ suavissimo troporum & sententiarum penicillô sermonem reddit depictum: vel *Logica*, quæ multorum conceptuum combinationem, in quâ verum aut falsum inest, importat. Dist. II. inter *orationem simplicem seu enunciativam*, quam *Aristoteles* lib. περὶ ἑρμενείας cap. 4. describit. Et *orationem compositam, copulatam seu discursivam*. Plures enim orationes particulares & simplices uniuntur unô terminô illationis, vel etiam unicô mediô. Dist. III. inter *orationem* sumptam *genericè* prout tùm *internam* tùm *externam* includit: & inter *orationem* sumptam *specificè*, quâ alterutram harum designat. Dist. IV. inter *Syllogismum* consideratum vel *universaliter* & abstractè, dùm adhuc nulli materiæ immersus in esse formali sistitur: vel *particulariter* & concretè, qui certæ materiæ attribuitur. Sit ergò

### Concl. 1. *Oratio sivè Grammatica, sivè Rhetorica, sivè Logica, cùm simplex tùm specificè spectata verum genus syllogismi non est.*

I. *De oratione Grammatica & Rhetorica simpliciter certum est*: illæ enim cum sub distinctis disciplinarum objectis repræsententur atq; diversimodam intendant rationem, altera certè alteri essentialiter adaptari nequit. Diversitas enim objectorum parit diversitatem definitionum. II. *De oratione Logicâ simplici hoc notandum*, quod illa quidem genus syllogismi non exprimat, eundem tamen partialiter intret, ita, ut ex pluralitate orationis simplicis tota formari queat oratio copulata. Unde absolutè sumpta tantum secundæ non autem tertiæ mentis operationi inseritur. Ita ergò argumentamur: Quicquid non est una oratio, sed constat ex multis connexis, illud nequit simpliciter dici oratio. Quod enim multum est, non potest dici unum & simplex. Sed Syllogismus constat ex multis

orationibus connexis Ergò nequit ſimplex oratio dici. Minor per ſe nota, conſtat enim ſyllogiſmus ex pluribus terminis ac duabus propoſitionibus. III. *De oratione Logica ſpecificè conſideratâ hoc obſervandum* Sicut enim illa dupliciter intelligi, ita etiam num utrovis modô pro genere ſyllogiſmi venditari poſſit paucis dicendum. 1. Quæri poteſt in ſenſû divisô; An *oratio interna vel externa tantùm genus ſit Syllogiſmi*? N. utrumq; Non [1] *oratio externa tantùm*; Nullum enim Genus eſt accidens ſuæ ſpeciei. Sed oratio eſt accidentalis ſyllogiſmo. Ergò ejus nequit eſſe Genus: Minor prob. quia Syllogiſmus mentalis verè eſt Syllogiſmus. Siquidē τὸ συλλογίζεσθαι prius fit in mente, quàm in voce, unde is, qui eſt in mente, principalis: qui eſt in voce & Scriptô, minus principalis Syllogiſmus appellari conſuevit, uti mox dicetur. Non [2.] *oratio interna tantùm*: Sicuti enim *finis Logicæ* eſt tùm internus, tùm externus & uterq; vel primarius vel ſecundarius. *Primarius internus* operationis intellectûs rectificatio: *Secundarius internus* ſermonis externi rectificatio in ordine ad veritatis manifeſtationem. *Primarius externus* veritas: *Secundarius externus* veritatis manifeſtatio; Ita duplicia quoq; media pro duplici hoc fine obtinendo aſſignari debent: operatio recta interna, cujus ceu ideæ intuitu dirigatur intellectus ad rectificandam operationem ſuam. Et oratio externa recta cujus intuitû dirigatur in conformanda oratione recta ad veritatis manifeſtationem, uti habet Cl. Dn. Weger. quæſt. log. p. 586. II. Quæri poteſt in ſenſû conjuncto: *an oratio interna & externa æquè primò Genus ſit Syllogiſmi*. N. & hoc: quia Διάνοια & diſcurſus ſalvari formaliter in mente poteſt, in ſcripto & voce ſaltem ſignotenus. Veritas enim cognitionis formaliter eſt in operatione mentis. Siquidem eſt conformitas conceptûs cum re: in externa voce & Scripto ſaltem ſignanter ut in manifeſtante.

Concl: 2. *Oratio Logica genericè ſpectata, prout principaliter internam, minus principaliter externam deſignat, verum genus eſt Syllogiſmi.*

Quodcunq; pluribus ſpeciebus eſt commune, deq; illarum eſſentiâ proximè cum ipſis cohærens illud eſt genus iſtarum ſpecierum.

rum. Sed oratio est quiddam commune enunciationi, syllogismo vocali, literali, mentali, aliisq; orationum formis, & est de illarum essentiâ proximè cum istis cohærens. Ergò. Major suâ luce radiat. Minor prob. estq; bimembris, (1) quod nimirum oratio sit quiddam commune. 1. Enunciationi extra omnem dubitationis est aleam. 2. Syllogismo orali, literali, mentali inde patescit, cum enim detur terminus oralis, literalis, mentalis, dabitur & talis Syllogismus. At Syllogismus mentalis est oratio mentalis, Syllogismus vocalis, oratio vocalis, Syllogismus scriptus, oratio scripta. Ergò. (2.) quod oratio sit de essentiâ Syllogismi liquet, quia nullus Syllogismus est, nisi sit oratio, puta, vel mentalis, vel literalis, vel scripta.

## ANTILOGIA III.

### In Syllogismo tres sunt propositiones; & in Syllogismo tres propositiones non sunt.

Dist. 1. inter *Syllogismum manifestum & perfectum*, & inter *Syllogismum Crypticum seu imperfectum*. Ille apertâ procedit formâ & consequentiâ. Hic crypticâ & imperfectâ. Dist. 2. inter *propositionem* spectatam vel *absolutè* & in sese extra structuræ Syllogisticæ habitudinem: vel *respectivè* ut illationem ex præmissis subinfert. Dist. 3. inter *propositiones*, quæ sunt tales vel actû, vel potestate. Quibus tanquàm fundamenti locô præfixis decisivam suppeditabunt sequentes conclusiones sententiam.

### Concl. 1. *In Syllogismo perfecto sunt tres propositiones absolutè spectatæ.*

In quacunq; complexivâ trium propositionum serie datur unius extra alteram independentia, nudam tantundem subjecti cum Prædicato cohæsionem intendens, ibi propositionum trium absoluta datur consideratio. Atqui in Syllogismo unius propositionis extra alteram dari potest independentia nudam subjecti cum prædicato cohæsionem intendens Ergò. Major per se firma, quia propositiones à syllogismo per independentiam & dependentiam connexivã seu causalem, ut plurimum discernuntur. Min. prob. quia in omni syllogismo perfecto dantur duæ præmissæ & illatio. Illæ dicuntur propositiones, hæc speciali nomine conclusio. De illis uti non dubitatur,

bitatur, ita vel imprimis de conclusione disceptatum fuit. Brevibus autem id evincemus. In quacunq; conceptuum combinatione judicium discretivum tantùm super nudam subjecti cum Prædicato intercedente copulâ verbali Est cohæsionem, ferri potest, ibi propositio vel Enunciatio absolutè spectatur. Atqui in conclusione hoc contingit. Ergò. Minor sequenti rationis insistit fulcro, quia judicium discretivum in conclusione attendendo connexionem Prædicati cum subjecto, mediante verbo Est, ferri potest in *Enunciationis*, (1.) *qualitatem*, an sit negans vel affirmans, (2.) *quantitatẽ*, an sit indefinita vel definita, & si hæc num universalis particularis vel singularis (3.) *quidditatem* an sit pura vel modalis &c. Ad hæc si conclusio ad prædictas Enunciationes efformari nequeat, sequeretur veritatem ac falsitatem in Syllogismo accuratè componendo & resolvendò difficulter vel planè non investigari posse, utpotè cum ex tribus istis ostendenda consequentiæ sit evidentia. Manet ergò in Syllogismo perfecto tres esse propositiones in sensû absolutô.

Concl: 2. *In Syllogismo Imperfectô tres propositiones absolutè & actualiter consideratæ non sunt.*

Sunt enim vel plures vel pauciores. Plures in Syllogismo redundanti, ut sorite prosyllogismo &c. Pauciores in Syllogismo deficiente, ut patet in Enthymemate, Inductione & Exemplo. Unde infero: In quacunq; propositione ternarius numerus vel pluralitate exceditur, vel paucitate minuitur, ibi tres propositiones actualiter tantùm non sunt. Atqui in Syllogismo tùm redundanti tùm deficienti ternarius propositionum numerus partim pluralitate exceditur, partim paucitate minuitur. Ergò. Dico autem *actualiter*, quia in Syllogismo deficiente major propositio potestativè latet, quâ ratione tres nominari possent. At potestativè quod est, eodem modo actualiter non est. Tres igitur propositiones in Syllogismo imperfecto actualiter non esse, probatum est.

Concl: 3. *In Syllogismo perfecto tres propositiones respectivè seu in structurâ Syllogisticâ dictæ non sunt.*

Quicquid est diversum quid à dispositis propositionibus & necessitate quadam ex illâ dispositione infertur, illud propositio in-

structu-

structura Syllogistica non est. Atqui Conclusio in syllogismo perfecto est diversum quid à dispositis propositionibus & necessitate quadam ex illa dispositione infertur. Ergò Conclusio in Syllogismo perfecto propositio respectivè dicta non est. Majoris connexio desumitur ex terminorũ dissentaneorum doctrina, diversum enim tali modo esse à propositionibus, & non diversum esse à propositionibus sunt contradictoria. At qualis terminorum est distinctio, talis quoq; eorundem est negatio. Minor est Arist. in definitione Syllog. idq; patet, quia (1.) nihil ad sui ipsius probationem assumitur (2.) propositiones notiores esse debent Conclusione quæ per illas probatur, cum ignotum per notius demonstretur. Diversa igitur est à propositionibus Conclusio si non materiæ tamen formæ ratione. Iidem enim termini qui in Conclusione habentur sunt etiam in præmissis sed aliter dispositi.

## ANTILOGIA. IV.

### Syllogismorum figuræ tres sunt: & Syllogismorum figuræ tres non sunt.

Dist. inter Syllogismorum figuram *perfectam* eamq; vel *simpliciter*, vel *secundum* quid & in certo genere: & *imperfectam*. *Perfecta* Syllogismorum figura est certa & naturalis medij termini cum extremis dispositio perfectam & evidentem illationem, suppeditans. *Imperfecta* Syllog. figura est illegitima terminorum dispositio ad aliquid concludendum.

### Concl: 1. *Syllogismorum figuræ sivè perfectæ simpliciter sivè secundum quid cum imperfectæ tres non sunt.*

Duobus hæc conclusio constat membris, quorum I. *Syllogismorum figuræ ut simpliciter perfectæ tres non sunt.* Probo 1. Ex quacunq; figura omnis generis conclusiones efformari queunt, illa perfectior illis est figuris, in quibus quædam duntaxat conclusiones efformantur, ac proinde cum nulla figurarum illâ existat perfectior, sequitur istam esse perfectam simpliciter. Jam verò de primâ figurâ id verificari potest. Ergò. Minor probatur, quia secunda figura tantùm negativè, tertia tantùm particulariter colligit. At verò prima figura

gura non tantùm negativè, sed & affirmativè, non tantùm particulariter, sed & universaliter concludit. Quicquid autem majoris est potestatis, id etiam dignioris est perfectionis. 2. Quæcunq; figura omnium reliquarum est regula & mensura, illa omnibus reliquis est dignior, & ob id perfectior. At prima figura est talis. Ergò. Min: prob. quandocunq; enim de consequentiâ secundæ & tertiæ figuræ ambigitur, reducuntur illarum syllogismi ad figuram primam, ad quam sunt examinandi & dijudicandi. Jam verò propter quod quid existit, id illi cujus gratia existit, dignitate decedit, propter quod enim unumquodq; tale, illud magis est tale. Unde quodcunq; perfectum existit simpliciter, illud eundem in paritatis perfectione non admittit gradum. Sequitur ergò primam figuram Syllogis. solitariè dici perfectam simpliciter, nec tres pari passû figuras non esse. II. *Syllogismorum figuræ, sive simpliciter, sivè secundum quid perfectæ cum imperfectâ tres non sunt.* Dico 1. *figura simpliciter perfecta cùm imperfecta tres non sunt.* Cum enim una tantùm detur perfecta simpliciter, una itidem imperfecta, sequitur non esse tres figuras h.m sed tantùm duas. Dico 2. *figuræ secundum quid perfectæ cum imperfecta laxiori dictionù παῤῥησίᾳ.* (Si scilicet figura dicatur omnis illa, quæ ex certô modô disponendi medium terminum infert verum. Non autem propter peculiarem dispositionem medii, quæ eam habet naturalem) *non sunt* tres sed quatuor, id quod patet ex modô procedendi diversô, qui taliter instituitur. Medius terminus, vel utrobiq; prædicatur, & oritur secunda, vel utrobique subjicitur, & oritur tertia: vel in majori subjicitur & in minori prædicatur, & oritur prima: vel deniq; in minori subjicitur & in majori prædicatur, & oritur quarta.

## Concl. 2. *Syllogismorum figuræ in certo genere perfectæ tantum tres sunt.*

In accurata hujus conclusionis enodatione operæ pretium erit ea primum quæ impertinentia sunt removere, ac postea hisce remotis rationes conclusionis iisdem subnectere. 1. Igitur statuimus *quartam figuram Galeni non dari* Propterea quia ibi modus procedendi naturalis invertitur, qui naturam non perficit, sed destruit. Ast Logica viam solummodò procedendi naturalem naturæq; convenientem discursum perficere debet, Siquidem humanæ naturæ, quod

quod & detractum, habituum adminiculo id est restituendum, quia omnis habitus ad hoc comparatus est, ut juvet ac facilitet naturalem aliquam facultatem vel actum. Jam verò in quartâ figurâ via procedendi naturalis apertissimè invertitur, ac super eam ut vult Averr. cogitatio naturalis non cadit, quia ibi *dictum de omni & dictum de nullo* prorsus exulant : quandoquidem id quod naturâest supremum, locô ponitur inferiori, quod inferius, superiori. II. Statuimus *dare tantum tres perfectas Syllogismorum figuras* : idq; p ob. (1.) *Ex naturali procedendi ratione.* Processus fit vel à genere ad speciem, id fit in primâ figurâ : vel à specie ad genus, id fit in tertiâ : vel si diversæ species discernuntur, quod fit in secundâ Melanch. l. 3. Dial. (2.) *ex terminorum dispositione.* Medius terminus vel in utraq; propositione & de utroq; extremo prædicatur. Atq; ita primum obtinet locum : vel in utraq; & utriq; extremo subjicitur, tertiumq; locum obtinet : vel in majori & majori extremo subjicitur, in minori verò & de minori extremo prædicatur, itaq; positione medius est. Si primum locum obtinet, secunda figura : Si tertium, tertia ; Si medium, prima exoritur Crell. lib. 3. in part. comm. cap. 5.

## ANTILOGIA V.

### In omni materiâ semper consequentiâ Logicâ est disputandum. Et in omni materiâ non semper consequentiâ Logicâ est disputandum.

Dist. 1. inter *materiam disputabilem*, quæ est vel *constructiva vel resolutiva*, illa investigatur per γένεσιν hæc per ἀνάλυσιν. Dist. 2. inter *consequentiam legitimam*, quæ ad regulas consequentiæ Logicæ est formata : & *illegitimam*, quæ in easdem impingit. Dist. 3. inter *consequentiam* vel *explicitam*, apertam & actualem, legitimâ structurâ syllogisticâ in certô modô & figura illatam : vel *implicitam* & virtualem legitimâ & competente unius ex alterâ sequelâ deductam, quamvis non aperto Syllogismo conformatam.

Concl: 1. *In omni materiâ disputabili sive constructiva sive resolutiva semper consequentiâ legitima implicita est disputandum.*

1. *De consequentiâ legitimâ dubitandum non est*, idq; 1. *Ob instru-*

*menti formali conditionem.* Omne enim instrumentum formale ad omnem materiam indifferens actumq; mentis generalem ac ejus processum dirigens & perficiens, generaliter in omni scibili est usurpandum. At consequentia Log. legitima est instrumentum formale, &c. Ergò. Maj. prob. quia omne instrumentum formale à dictamine rectæ rationis juxta lumen naturæ esse suum fundamentale fortitur. Min. prob. quia legitima vel illegitima consequentia nulla alia ratione, quam ex naturali rerum connexione, quâ vel junguntur vel sejunguntur dijudicari valet. 2. *Ob finalem hominis efformationem.* Homo enim factus est à Deo aut *rationalis*, aut *irrationalis*. Non *irrationalis*, quia hæccè differentia solis brutis est propria. Si verò *rationalis*, factus est vel *ut otiosus spectator* vel ut *negotiosus operator*. Non autem *otiosus spectator*, natura enim semper actionem intendit, quia frustra non est condita, Ergò negotiosus *operator*. At operatio naturalis non est ubi consequentiæ formantur contra disciplinam rationis, quæ rationi modos procedendi præscribit. 3. *Ob rerum ipsarum immutationem.* quia res omnes rationis conformitatem induentes hâc ratione non immutantur, sed instrumentis ejuscemodi tanquâ servilibus conditionibus utuntur. II. *De consequentia legitima implicita prob.* quia 1. in consequentiâ tali potentia proxima est syllogismus indeq; dicta formalis consequentia. Nam ubi datur conclusio, atq; medium additur, jam consequentia argumentativa datur & imperfecta argumentationis forma, unde formaliter aliquis disputare dici potest, velut loquitur Dn. Corn Mart. c. 10. de ἀνόλ. for. th. 183, 187, &c. 2. Ubicunq; dari quit connexio rerum certa, extra structuram Syllogisticam peculiari necessitate non urgente perfecta, inq; principiis luminis naturæ fundata, ibi datur legitima & implicita consequentia, quâ stante semper disputandum erit. At in omni materiâ disputabili id evenit. E.

## Concl: 2. *In omni materia disputabili uti nunquam consequentiâ illegitimâ, ita etiam non semper consequentiâ explicitâ est disputandū.*

*Patet prius.* Quia omnes res quæ in disputationem veniunt, sunt vel *principia* vel *principiata* seù conclusiones, & si *principia* sunt, spectatur in iis aut τὸ ῥητὸν seu verba aut διάνοια seu sensus verborum.

Ast

Aſt utrobiq; conſequentia legitima, velut ſummè neceſſaria expetitur, quia omne ſcibile eſt dirigibile. Quod autem eſt dirigibile, per bonam conſequentiam dirigibile ſit oportet. Hinc quæ conſequentia ad ſyllogiſmum redacta ſit illegitima, ea ut inepta eſt rejicienda. *Patet poſterius*, quia hâc ratione omnia ſcripta polemica omnes congreſſus diſputatorii, omnia colloquia meris ſyllogiſmis explicitis eſſent conformanda, quod tamen communi reclamat experientiæ. Hoc tamen dicentes non intendimus quaſi nullibi explicitâ ſit utendum conſequentiâ, hoc enim multiplicem habet uſum, veluti 1. *inferendi aperta perfectio*. Eſt enim Syllogiſmus medium inferendi perfectiſſimum probabiliter ſæpè, imò inevitabiliter quandoq; fidem faciens, 2. *plurium confuſorum in ordinem contractio*, quæ enim aliàs diffusè & turbatè ſunt propoſita breviter hîc ut nervus totius rei pateat per Syllogiſmum perfectum contrahi poſſunt. 3. *Commodior dubiorum reſolutio*, ſiquidem in data forma ſyllogiſtica citius univerſalitas vel particularitas, affirmatio & negatio &c. deprehenditur, quo facto rationis vitioſitas adverſario ad oculum demonſtrari poteſt: Sed id unicè nobis eſt propoſitum, quod non ſemper ac neceſſitate immutabilitatis ſtructurâ ſyllogiſticâ uti teneamur, id quod pauciſſimis impræſentiarum à nobis eſt demonſtratum.

## COROLLARIA.

*An omne mendacium ſit improbandum.*

Diſt: inter *mendacium officioſum*, *jocoſum* (quibus alij jungunt ignotum) & *perniciosum*. *Officioſum* omninò licitum eſt, eſt enim id non mendacium ſed diſſimulatio, (quæ hominum eſt prudentum) ſuſcepta vel (1.) *propter Dei honorem* Exod. 1. v. 19. 2. Reg 10. v. 18. (2.) *propter pacem* 2. Sam. 16. v. 16. (3.) *propter ſalutem* vel *alienam* Joſ. 2. v. 4. 1. Sam. 20. v. 28. *vel propriam* 1. Sam. 21. v. 2. 1. Sam 27. v. 10. *Jocoſum* & ignotum planè pro vitio habenda non ſunt, *illud* quidem ſi non ſit petulans, ſcurrile & obſcænum ſed ſemper in gratiâ ſale conditum Col. 4. v. 6 *Hoc* verò ſi ex relatione pro vera vendita referatur cen dignum quid. *Pernitioſum* verò mendacium omnino eſt improbandam, peccat enim 1. *erga Deum*, qui levitate ingenij non delectatur. 2. *Erga ſeipſum* quia hoc ipſo conſcientiam conſpurcat. 3. *Erga proximum* quem lædit vel *cordis duplicitate vel adulandi improbitate* Definitiones vide ſis in libellis Ethicis.

An

*An leges nonnullæ Forenſes Moſaicæ adhuc pro renata inter Chriſtianos obſervari poſſint?*

Diſt: inter *Leges Forenſes* quarum, aliæ ſunt *particulares* quæ ſolos Judæos concernunt dum non ſolum ratione finis ſed & ſubſtantiæ præcipuè ad Chriſtum tendunt: aliæ *ſunt communes* quæ quidem quoad circumſtantias ſunt particulares, quoad ſubſtantiam verò juris communis. *Illas* Chriſtiani obſervare non tenentur. Siquidem præſente antitypo ceſſant typi. *Has* verò omninò obſervare poſſunt quicquid enim in his legibus juris & æquitatis eſt communis, illud quoad ſubſtantiam eſt immutabile & omnes homines obligat, quicquid autem eſt juris particularis id uti ad politiæ Judaicæ εὐταξίαν tantùm pertinuit, ita eâ ſublatâ vim quidem obligandi amiſit, non tamen propterea vim nocendi contraxit in illis, qui liberè illud & ſine neceſſitatis ſuperſtitione obſervant; ut convenienter loquitur. Cl. Dn. Jac. Mart. in Syntag. Theol. Diſp. 24. th. 21. & ex eo Dn. Wilhelm. Witzendorff Th. Licent. in Monit. Polit. 2. Diſſer. 5.

*An homini Chriſtiano liceat Magiſtratum gerere?*

Affirmativam amplectimur ob ſequentes rationes quia 1. *id bonum* eſt cujus privatio eſt mala, Jam verò magiſtratus privatio eſt mala Jud. 18. ſine *Magiſtratu* nulla eſt legum executio atq; ſic nemo ſuæ vitæ ſecurus foret. At ubi nulla legum eſt executio ibi pacis metuenda periclitatio. Pacis autem periclitatio, Reipublicæ pervertendæ eſt indicium. 3. *Magiſtratus* eſt à Deo Rom. 13. Quicquid enim eſt à Deo, bonum eſt; At quod habet rationem boni, per ſe eſt appetibile. Nec obſtat quod ſit ordinatio humana, dicitur enim talis 1 *finaliter* quatenus ab bonitatis civilis protectionem eſt conſtitutus 2. *Objectivè*, quatenus in humana ſocietate verſatur. 3. *Subjectivè* quatenus ab hominibus geritur. Nec tamen deſinit eſſe divina *cauſaliter* quatenus eſt à Deo.

*Num Iſraelitæ petentes Regem â Deo peccaverint?*

Diſt: inter ipſum *poſtulatum*, & *poſtulati modum*. *Illud* per ſe bonum fuit, dum n. petierunt Regem, petierunt Magiſtratum Civilem. At Magiſtratus, civilis in conſtituta Republ: omninò eſt neceſſarius. *Modus* v. poſtulati fuit malus, tria enim hîc occurrunt peccata. 1. *Temeritas* qua Deum ſuâ impatientiâ prævenerunt ipſius promiſſa non expectantes. 2. *Diffidentia & iniquitas* omne præſidium in externum Regem collocantes. 3. *Ingratitudinis malignitas* Samuelem Prophetam eos gubernantem, recuſantes.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0212
DFG

# ANTILOGIA I.

## Principia Syllogismi in tertiâ parte Logicæ sunt tradenda: & Principia Syllogismi in tertiâ parte Logicæ non sunt tradenda.

Disp. XIV. *Respond.* Conrado Neuwenfeldt/ Dantisc. Borusso.

Dist: I. inter *Principia Syllogismi materialia*, ex quibus Syllogismus materialiter est componendus: & inter *principia Syllogismi formalia*, quibus Syllogismus formaliter absolvitur & dijudicatur. Dist: II. inter *Principia formalia*, quæ sunt triplicia. Dantur enim ex ijs alia quæ dicuntur 1. *constitutiva* ut sunt tres termini & tres Propositiones. 2. *directiva* quæ sunt vel *Canonica*, ex quibus omnis Syllogismus confirmatus redditur; vel *regulata* sunt regulæ quibus Syllogismus dirigitur in suâ naturâ, vel ratione terminorum, Præmissarum & conclusionum in certâ figurâ. 3. *perfectiva* quæ Syllogismorum consequentiam manifestant ut reductio & expositio.

### Concl: 1. *Principia Syllogismi materialia in tertiâ Logices parte non sunt tradenda.*

Obest enim [1.] *peculiarú partium constitutio*, quarum cum quævis obtineat singularem materiei varietatem nequit una pars alterius materiam suffurari, eandem ex munere proprio sibimetipsi adjudicando seorsim. Partis enim unius quod est proprium, alterius per naturam non evadit. At vero pars Logicæ prima & secunda à tertiâ est distincta, dum in *istâ* expenduntur termini simplices secundum omnem varietatem; in *illâ* enunciationum natura quoad partes & species: in *hac* Discursus [2.] *Singularú rerum suarum executio*, circa quas occupatur 1. *independenter*, dum quævis operatio mentis absolutè in se circa sua objecta intenditur. 2. *dependenter*, qua una alteri ad felicem progressum & successum, rerum



suarum

ſuarum copiâ, ſuppetias ferendo eſt parata, quod fit (1.) *præparativè*, quâ res ſuas â quavis ineptitudine & confuſione liberat, ut eò commodius altera ijſdem uti queat. (2.) *conformativè*, quâ illis habilitatem conciliat, ut quibusvis muneribus ſubeundis prompta fiat. (3.) *dijudicativè* quâ difficultatum nonnullarum ſpinas removendo opem cum alterâ communicat. [3.] *Formalis rerum pertractandarum evolutio.* Etenim quælibet partes Logicæ obtinent ſua dictincta munera, quæ formaliter cum reliquis eadem non habent, ſiquidem aliud eſt pertractare terminum abſolutè in ſe. Aliud conſiderare Propoſitionem ratione naturæ. Aliud denìq; eſt conſiderare Syllogiſmum prout talis & Methodum. At formalis rerum â ſe diſtinctarum ratio peculiaris partis eſt tractatio. Voluimus autem in Concluſione determinare principia Syllogiſmi, ad removendum 1. *Principia eſſendi*, quæ cum dentur tantum modò in ijs quæ habent eſſe reale, â Logicâ utpote quæ circa intentionalia eſt occupata, erit releganda 2. *Principia cognoſcendi diſciplinaria*, quæ dantur tantum in diſciplinis Theoreticis, quâ juxta Methodum Syntheticam quævis earum eadem amplectitur.

## Concl. 2. *Principia Syllogiſmi formalia in tertiâ Logices parte ſunt tradenda.*

Prob. Omne dirigendum agnoſcit principium dirigens. At Syllogiſmus per operationem mentis eſt dirigendus. Ergò Syllogiſmus agnoſcit principium dirigens. Quia verò tripliciter dirigi poteſt vel 1 *ratione terminorum* ac Propoſitionum abſolutè, ex quibus in eſſe conſtituitur 2. *ratione terminorum* ac Propoſitionum reſpectivè quoad totum ut verè ad lumen naturæ procedat, nunquam ab eo deviet 3. *Ratione conſequentiæ* & conſecutionum ut legitimam habeat illationem: Sic triplicia quoq; expetit Principia quæ ſunt partim conſtitutiva partim directiva partim perfectiva. De poſterioribus duobus maxima inter Peripateticos & Ramæos movetur controverſia, *an hæc in Logicis tradenda?* Nos amplectimur ſententiam Peripateticorum probantes utraq; principia in Logicis non eſſe negligenda I. *Principia Canonica ut ſunt Dictum de omni & dictum de nullo ſunt conſiderationis Logicæ.* Quicquid per operationem mentis ex fontibus naturæ derivatur illud principium directivum

vum canonicum agnoscat oportet. At tale Principium canonicum sunt Dictum de Omni & de Nullo: Siquidem omnia naturaliter in ijs procedunt & id quod supremum de altero, quod inferius est superiori subjicitur, & deniqi, quod erat subjectum & prædicatum in præmissis, idem etiam prædicatum manet in Conclusione, quatenus scilicet in illam ingreditur. II. *Principia perfectiva ut sunt reductio & expositio in Logicâ tradenda sunt non quidem necessitate absolutâ sed Hypotheticâ.* Dico 1. *non necessitate absolutâ*, quia habent etiam singuli Syllogismi suam consequentiam, quam si quis Syllogismis secundæ ac tertiæ Figuræ vel per malitiam vel per imperitiam detrahere vellet, fieri posset ut aliquis etiam eâdem de causâ consequentiam primæ figuræ negaret. Poterit igitur consequentia modorum secundæ ac tertiæ figuræ indagari à posteriori quod scilicet secundum tales modos argumentandi nuspiam ex falsis verum sequi, deprehensum sit. Dico 2. *necessitate conditionatâ.* Habet enim prima figura evidentiorem probandi modum & consequentiam quam reliquæ, hæ enim ad primam relatæ imperfectæ arguuntur, quæ si reducantur ad primam, suam quasi imperfectionem deponunt atq; sic in suo genere perfectæ existunt.

## ANTILOGIA II.

### In Syllogismo tres termini sint: & in Syllogismo tres termini non sint.

Dist. I. inter *Syllogismum perfectum* qui definiente Arist: libr: 1. prior. Anal. cap. 1 est Λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀναγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. & inter Syllogismum *imperfectum seu Crypticum*, quando in materiâ Syllogismi aliquid secundum excessum sive exuperationem medij redundat. Dist. II. *inter terminum sumptum incomplexe* pro quavis voce, vel *complexè* & illativè pro unâ Propositionis parte, puta vel subjecto, vel prædicato. Dist: III. *inter terminos* qui sunt vel ijdem quâ sonum & tamen diversi quâ sensum, vel qui sunt ijdem in sono ac sensu.

Concl. 1. *In Syllogismo Perfecto sunt tantum tres termini illativè sumpti in sono ac sensu ijdem.*

Probatur 1. *ab inconvenientiâ.* Si enim non essent tres termini, existerent aut plures aut pauciores. Non plures, quia quartus terminus connexionem turbaret & scopas faceret dissolutas. Hinc est quod libr. 1. Prior: c. 25. dicat Δῆλον, ὅτι πᾶσα ἀπόδειξις ἔστι διὰ τριῶν ὅρων καὶ οὐ πλειόνων h. e. planum est omnem Syllogismum seu demonstrationem fore per tres terminos & non plures. Non pauciores, quia sic 1. committeretur Cocciſmus seu petitio principij dum idem probaret seipsum atq; sic consequentia foret imperfecta, quia 2. fundamentum veræ aut falsæ Enuntiationis est unio vel dissidium Subjecti & Prædicati: quod dum sæpè latet manifestatur in Syllogismo per tertium illud quod vim unionis obtinet vel disiunctionis. Itaq; cum Conclusio duos habeat terminos, majorem & minorem, quærimus tertium (qui dicitur medium vel causa) quo duos illos conjungi posse vel disiungi putamus ceu inquit. D *Bartholi.* Enchr. Log. part. comm. l. 3. c. 2. 2. *ab inconsequentiâ.* Si enim terminorum ternitatem alius numerus vel excederet vel minueret, sequeretur illegitima medij subsumptio. At vero ab unitate medij legitima dependet unitas Syllogismi genuina. 3. *ab incompetentiâ.* Siquidem in omni figurâ Syllogistica fieri debet competens & congrua terminorum trium dispositio. At vero si hæc denegaretur sequeretur turbatio Syllogistica, quæ esset admittenda, & contingeret. (1) *Explicitâ terminorum multiplicatione*, quando medium in minori Propositione planè diversum est ab eo quod est in majore (2) *implicitâ sensus ut & propositionum variatione*, quod fieri potest (a.) *terminorum æquivocationem inferendo.* Ut: Deus religiosâ adoratione est invocandus. Magistratus est Deus, Appellatur enim אֱלֹהִים, Psal. 86. v. 8. Ergo Magistratus relligiosâ adoratione est invocandus. Nam major loquitur de Deo, qui talis est τῇ φύσει per se σπουδῶς. Minor de Deo qui talis dicitur τῇ θέσει πρεσβυτερικῶς respectu officij, quod vices & personam Dei hisce in terris quodammodo sustineat ut Christus interpretatur Joh. 10. v. 35 (b.) *Terminorum suppositionem commiscendo*, ut: Essentia divina est realiter idem cum filiatione. Paternitas est realiter idem cum essentia divina. Ergo paternitas est realiter idem cum filiatione. Nam in majori Propositione vox es-

sentiæ

sentiæ sumitur absolutè quatenus toti Trinitati est communis, in Minore relatè quatenus Charactere Hypostatico limitata est in Personâ Patris. (c.) *Terminorum novam determinationem apponendo.* Commodè enim hic observari debet distinctio inter tres terminos Syllogismi materiales & inter terminorum diversas attributiones ut probe loquitur Dn. *Henricus Nicolai* in Miscell: dec. 1. Exerc: 7. th: 10. Unde talis in hoc Syllogismo fit inordinatio. Quod filius DEI non assumpsit id non redemit, juxta illud πολυθρύλλητον Damasceni τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. Atqui humanitatem peccato infectam non assumpsit. Ergo nec talem redemit. Major loquitur tantum de Humanitatis substantiâ. Minor addit novam determinationem accidentis.

## Concl. 2. *In Syllogismo & perfecto & Cryptico non tantum sunt tres termini illativè sumpti in sono ac sensu ijdem.*

Duo in hâc conclusione involvuntur membra, quorum I. *Syllogismus perfectus non tantum habet tres terminos illativos.* Patet quia in Syllogismo perfecto sæpissimè occurrunt termini incomplexi terminis illativis coâdministrantes ut: Causa inferior nil positivi sine concursu causæ primæ agere potest. Atqui homo est causa inferior. Ergo Homo sine concursu causæ primæ nil agere potest. In hoc Syllogismo dantur quidem tres termini ὄντως & reverâ tales, plures tamen sunt φαινομένως & apparenter tales qui solum numerantur juxta numerum Vocum Grammaticarum. *Dico in sono & sensu ijdem*, fieri enim potest ut terminus Minor desit quà sensum, etsi videatur adesse quà sonum: ut DEUS Filius est in Christo. Christus est DEI filius E. Christus est in Christo. Hic Syllogismus licet videatur habere tres terminos, tamen reverâ tantum tum duobus constat majore, & medio quia minor planè abest & loco ejus assumitur idem terminus materialis qui erat in majore. II. *Syllogismus Crypticus non tantum constat tribus terminis* ὄντως. Ratio est quia Propositio probatoria sustinet locum Majoris per Crypsin quandam uti inquit *Clariss: Dn: D. Danhavv.* in Idæa B. Disp: sect. 2. c. 3 art 6. §. 58. unde sic quatuor termini in talibus Syl-

logismis tantum sunt apparenter tales. Ex hisce videre licet quod maxima fiat injuria nostratibus à Calvinianis proclamantibus sequentem Syllogismum esse falsissimum ob meram ἀσυλλογισίαν. E. G. Dextra Dei est ubiq;. Christus sedet ad dextram Dei. E. Christus est ubiq;. Ut igitur hujus ut & plurium aliorum veritas innotescat, sciendum quod hic Syllogismus potestate sit geminus. Prior ergo Syllogismus est hic. Qui sedet ad dextram Dei est ubiq;. Christus homo sedet ad dextram Dei Ergo est ubiq;. Probatio Propositionis quæ est veluti alter Syllogismus) quia dextra Dei est ubiq;. Confer: piurib: *D. Danhaw* l. c. & *Scheibl:* tract. Syllog: c. 1 Art. 2. q: 3.

## ANTILOGIA III.

### Conclusio est pars Syllogismi: Et Conclusio non est pars Syllogismi.

Dist: I. inter *Conclusionem* quæ dupliciter consideratur 1. *ratione præmissarum* ex quibus effectivè deducitur 2. *ratione totius Syllogismi* quem conclusio cum præmissis absolvunt. Dist: II. inter *partem Syllogismi materialem* ex quâ materia Syllogismi integratur: & *formalem*, quæ afficit formam Syllogisticam. Dist: III. inter *Syllogismum* qui accipitur vel μερικῶς sive in sensu partiali pro medij termini cum extremis dispositione, vel ὁλικῶς sive in sensu totali pro totâ illationis vel discursus compage.

### Concl: 1. *Conclusio ratione totius Syllogismi spectata est pars & materialis & formalis Syllogismi* ὁλικῶς *accepti.*

Dico (1) *pars materialis* quæ evincitur [1] *ex Syllogismi definitione*, quâ definitur quod sit oratio in quâ positis quibusdam diversum quid à positis ex necessitate infertur eo quod hæc sunt. Ubi involvitur non solum duplex præmissa sed & ipsa Conclusio. Hinc sit argumentum. Partes definitionis sunt partes definiti. Sed præmissæ cum Conclusione sunt partes definitionis E. & definiti [2] à *paritatis illatione*. Si enim Conclusio non est pars Syllogismi nec consequens erit pars Enthymematis. Ratio sequelæ hæc est: quia sicut se habet Conclusio ad præmissas, Ita consequens ad Antecedens

dens, ex quo consequentia materialis infertur. At consequens est absurdum, quia sic Enthymema una foret Propositio. Ergo & antecedens [3] *Ab actuum intellectus confusione.* Nam si Conclusio non esset pars Syllogismi, tertia mentis operatio non daretur, nec si daretur â secundâ differret. At posterius est absonum. Ergo & prius. Consequentia probatur, quia tertia mentis operatio formaliter consistit in illatione, sicut secunda in compositione & divisione. Illatio autem & consequentia nihil aliud est quam Conclusio in quantum consideratur ut dependens â præmissis. Sublata igitur Conclusione tollitur illatio & consequenter tertia mentis operatio. Videatur *Dn. Weger.* quæst: Log. in libr. prior. Anal: p. 619: Dico (2.) *Pars formalis*, quia actus illativus est formalis pars in omni discursu. Sed Conclusio quâ talis est actus illativus. Ergo Conclusio est pars formalis discursus. Minor per se manifesta est. Major probatur. Quicquid facit complementum & perfectionem discursus per quam ab omnibus mentis operationibus discernitur illud est pars formalis discursus. Atqui actus illativus facit perfectionem & complementum discursus per quam ab omnibus mentis operationibus discernitur. Ergo. Minor rursus probatur. Discursus formaliter constituitur aut per nudam actuum successionem sine dependentiâ aut per actuum illationem. Non prius, quia in vero discursu consequens non solùm cognoscitur post cognitionem antecedentis sed imprimis cognoscit illud ob positionem antecedentis, hoc est unum per aliud, proinde talis actuum successio datur in prima & secundâ mentis operatione. Ergo posterius. Hîc autem notes velim quod judicium conclusionis duplex sit vel simplex quatenus agnoscit convenire prædicata subjecto simpliciter, & sic est Conclusionis materialiter, ut enunciatio & etiam extra Syllogismum inveniri potest: vel modificatum, quatenus cognoscit prædicata convenire subjecto cum dependentiâ causati â præmissis & sic est Conclusionis formaliter & accipit denominationem illativi judicij.

## Concl: 2. *Conclusio ratione præmissarum spectata non est pars Syllogismi μερικῶς dicti.*

Prob. [1] *Conclusio est effectus Syllogismi.* Ergo non est pars Syllogismi.

logiſmi. Major probatur (1.) *nullus effectus eſt pars cauſæ efficientis.* Effectus enim causâ ſuâ poſterior eſt, partes vero toto ſunt priores (2) *Pars ingreditur eſſentiam totius*, ſed effectus non ingreditur eſſentiam ſuæ cauſæ, ſiquidem rem in ſuâ eſſentiâ jam conſtitutam inſequitur, cum modus operandi præſupponat modum eſſendi. Minor probatur. quia Concluſio dicitur & colligitur ex præmiſſis [2.] *veræ partes ad ſe invicem relatæ cauſæ & effecti rationem non habent.* Jam verò Concluſio & præmiſſæ habent ſe ut cauſa & effectus. Præmiſſæ ſiquidem ſunt cauſæ Concluſionis. Ergo non poſſunt ſimul partes eſſe ſimul eundem Syllogiſmum conſtituentes. Ergo altera harum tollenda. Non præmiſſæ. Ergo Concluſio. [3] *Ex quo aliquid conſtituitur in illud etiam reſolvitur.* Sed Syllogiſmus non reſolvitur in Concluſionem Ergo non conſtat ex Concluſione ceu parte. Minor probatur ex libr: 1. prior: Anal: c. 33. ubi Syllogiſmus ſolum reſolvitur in duas Propoſitiones majorem & minorem uti habet *Maſius* in Logic: plura argumenta videſis apud *Clariſ.* *Wegerum* l. c.

## ANTILOGIA IV.

### Syllogiſmus Expoſitorius eſt Syllogiſmus bonus: & Syllogiſmus expoſitorius non eſt Syllogiſmus bonus.

Diſt: I. inter *Syllogiſmum expoſitorium* vel ἀληθῶς reverâ talem, qui legitimo & debito modo ex legilimâ trium terminorum & eorum Propoſitionum diſpoſitione veram exhibet concluſionem; vel φαινομένως & apparenter talem, qui ex mutilatione terminorum illegitimè ſubſumptâ videtur quidem expoſitorium Syllogiſmum præſe ferre, non tamen reverâ talis eſt.

Concl: 1. *Syllogiſmus Expoſitorius* ἀληθῶς *talis ex legitimâ terminorum diſpoſitione ortus, eſt Syllogiſmus bonus.*

Idq; [1.] *ob Syllogiſticæ definitionis attributionem*, quæ hiſce Syllogiſmis eodem modo ut reliquis attribui poteſt, ſiquidem â diſpoſitis præmiſſis Concluſio fit diverſa. At cui competit definitio, eidem

dem competit & definitum (2) *ob discursivæ cognitionis receptionem.* Dantur enim nonnulla singularia quæ sensilia non sunt, videlicet in ijs entibus quæ corporeitatis sunt expertia, qualia sunt DEUS angeli, anima rationalis. At hæc nihilominus sunt cognoscibilia. Quicquid autem est scibile per intellectum est scibile. Omnis autem cognitio humanitùs acquisita, per discursum redditur perfecta. (3.) *ob sensilium à metâ veritatù aberrationem.* Potest enim intellectus etiam circa entia sensilia maxime falli. At vitium quod est erroris seu aberrationis indiget medio correctionis Omnis autem correctio non nisi à ratione perficitur. Jam circa quodcunq Intellectus suis actibus est negotiosus in eo maxime est operosus;. At mens est negotiosa circa singularia. Ergo in ijs ratiocinatione operabitur. His adjici poterit & ea ratio submini∫trata à Scheiblero. Sngulare non esse ineptum ad discursum, id quod ex Arist: probat quod 2. Prior c. 23. inductionem & ibidem c. 24. Exemplum & lib. 1. prior Anal c.6. expositionem connumeraverit instrumentis Logicis. At ista non sunt sine singularibus, sunt tamen evidenter discursus, quia unum eliciunt ex alio. Nec est quod dicatur intellectum singularia non cognoscere; contrarium enim satis probant *Aegid: Rom:* lib. 3. de Ana: c. 3. *Javell:* 7. Metaph: q 16. *Perer:* libr. 3. de Phil: nat: cap. 19. & aiij. Quî enim intellectus potest discrimen inter duo singularia ponere, si eorum cognitionem nesciat dijudicare. Præterea si sensus singulare valet cognoscere utiq; idem facere poterit intellectus. Nam quod potest virtus inferior id potest etiam virtus superior.

## Concl: 2. *Syllogismus expositorius apparenter talis non est Syllogismus bonus.*

Hoc ut evidentissimum fiat assumatur πρόβλημα illud photinianorum: Essentia divina est pater. Essentia divina est filius. Ergo filius est pater. Hunc Syllogismum esse expositorium seu singularem reverâ talem defendit *Goslavius* contra Keckerm: part. 2. refut. cap 3. p. 85, 86. & seq. Verum enim vero si rem æquiori judicij trutinâ pensitemus *Dicimus 1. hunc Syllogismum nec reverâ esse* [1.] *expo-*

*fitorium.* Hic enim quia potius probatio est Syllogismi tertiæ figuræ quam Syllogismus dicente *Jacob. Mart:* libr. 2. de trib: Elohim cap. 48.m.p 407. semper tenetur subsumere singulare sub universali e. g. O. Theologus est doctus. Quidam Theologus est maritus. Ergo quidam maritus est doctus. Syllogismus hic expositione ita probatur subsumendo sub termino communi Theologus terminum singularem V.G.Lutherus, hoc modo: Lutherus est doctus. Lutherus est maritus. Ergo Quidã maritus est doctus. Non (2.) *singularẽ*, quia Principiũ illud: Quæ sunt eadẽ uni tertio inter se sunt eadẽ, hic planè violatur. Siquidẽ illud principium loquitur de tali tertio quod est incommunicabile. Si enim est communicabile N.V.C. Non enim licet inferre Johannes & leo conveniunt in animalitate. Ergo sunt eadem inter se. Ergo Johannes est leo & leo est Johannes. Unde quia Essentia divina juxta fidem est communicabilis pluribus personis per realitatem, quilibet nisi quis ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας laborat Syllogismum istum falsum esse profitebitur *Dicimus* (2.) *hunc Syllogismum licet non voce retamen ingenium particularis habere.* Nam sicut hic Syllogismus: Humana natura est Petrus. Humana natura est Andreas. Ergo Andreas est Petrus. particulariter concludit. Etenim major illius est incompleta & subjectum non est distributum indeq; pro particulari habetur & æquipollet huic Syllogismo. Quædam humana natura est Petrus. Quædam humana natura est Andreas. Ergo Quidam Andreas est Petrus. Sic pari modo, *analogiâ tamen suâ observatâ* propositus Photinianorum particulariter concludit, quandoquidem & in hoc Syllogismo major est incompleta, quia essentia divina quidem est pater, sed non tantum, æquipollet ergo particulari. *Dicimus* (3.) *hunc Syllogismum non idem retinere medium in majori & minori Propositione.* Nam essentia divina ἁπλῶς non est pater sed cum relatione ad τὸ gignere. Item Essentia divina non est simpliciter filius sed cum relatione ad τὸ gigni uti observat *Eruditus: Dn: Gutkius* Log: div: Syn: p. 39. hinc inde talem format Syllogismum. Essentia divina cum relatione ad τὸ gignere est pater. Essentia divina cum relatione ad τὸ gigni est filius. E. filius est pater. Sin verò Photinianus medium

medium velit unum idemq; minor propositio, videlicet: Essentia Divina cum relatione ad *to* gignere est filius, est falsissima ob characteris hypostatici in Personis confusionem. *Dicimus* (4.) *hunc Syllogismum invertere ordinem naturalem dum id quod prædicari debebat subjicitur*, ut enim falso dicitur, homo est Petrus, ita & hæc Propositio: Essentia divina est pater: eò quod terminus superior debeat esse subjectum, inferior prædicatum.

## ANTILOGIA. V.

## Omnis Syllogismus est Compositus: Et non Omnis Syllogismus est Compositus.

Dist: I. inter *Syllogismum compositum* qui talis dicitur vel *quoad partium compositionem* quales sunt termini & propositiones Syllogismorum; *vel quoad dispositionem*, quæ si est composita oritur Syllogismus compositus in specie dictus. Dist: II. *inter compositionem in* Syllogismo aut *totalem*, quando omnes partes Syllogismi compositi sunt in majori Propositione; aut *partialem* quando major quidem Propositio est composita, interim tamen partes quæstiones dividuntur in præmissis.

### Concl: 1. *Omnis Syllogismus est compositus ex compositione partium.*

Patet quia in omni Syllogismo requiritur complexio trium terminorum & duarum Propositionũ unà cũ conclusione. At vero talis complexio infert compositionem quæcunq; illa sit. Unde ita argumentamur. Quicquid constat ex triũ terminorũ & triũ Propositionũ complexione illud est compositũ. Atqui omnis Syllogismus perfectè dictus constat ex trium terminorum & trium Propositionum complexione. Ergo omnis Syllogismus perfectè dictus est compositus. Minor est certa, quia in omni Syllogismo perfectè dicto requiruntur tres termini & tres Propositiones. *Dico* (1) *tres Propositiones*. Conclusio enim accipitur vel materialiter pro complexu subjecti & prædicati & sic reverâ est Propositio, vel formaliter ut duobus Præmissis contradistinguitur atq; sic Propositio non est. Nos vocem conclusionis priori modo sumpsimus. *Dico* (2) *in Syllogismo perfecto* ad excludendum (1.) *Syllogismum deficientem* ubi aliqua

præmissarum deest ut in Enthymemate, inductione & exemplo (2.) *redundantem* ubi aliquid redundat, ut in Prosyllogismo Dilemmate, Sorite quibus nonnulli addunt *abductionem*, quæ est argumentatio cum principali Syllogismo Minoris dubiæ probationem conjunctam habens: & *transsumptionem* est argumentatio cum directa conclusione aliam ex hypothesi illatam conjungens E. G. Si probetur Judam Ischariotem verè manducasse corpus Christi in cœnâ, etiam probatum assumitur cæteros impios manducare (3.) *inconsistentem* cujus processus paulo implicatior est, nec facilè patet qualiter procedat ut in Syllogismo inverso item juxta nonnullos in Syllogismis Analogicis Arithmeticis & oppositis.

## Concl: 2. *Non omnis Syllogismus est compositus quoad dispositionem ex compositione totali.*

Patet (1) *â Syllogismi divisione* quâ alius dicitur simplex alius compositus, atq; sic non omnis Syllogismus est compositus sed & simplex. Nec obstat simplicitati aggregatio quævis terminorum ac Propositionũ. Etenim in Syllogismo composito est dispositio composita quia in eo omnes partes junguntur cum medio termino in Propositione. At conjunctio partium in dispositione est earũ compositio. In Syllogismo autem simplici est simplex Dispositio quia in eo partes quæstiones (in eâ quæstione conjunctæ) divelluntur & segregantur in præmissis, ut hæc quæstionis pars in istâ & alia in aliâ præmissa ponatur. Divulsio autem opponitur compositioni & proinde arguit simplicitatem (2) *á Syllogismi definitione* quæ tribuitur tantum Syllogismis perfectè & rigidè dictis. At hi sunt Syllogismi simplices, compositis autem competit tantum per latam extensionem. Atq; sic Syllogismus est genus Analogum ad simplicem & compositum tanquam species Analogas; ut non ὁσαύτως utriq; Speciei Syllogismi definitio accommodetur, sed simplici πρώτως & modo nobiliori tanquam Analogato potiori: composito δευτέρως & modo ignobiliori tanquam Analogato posteriori. Unde quivis haud difficulter judiciũ ferre potest quod talis Syllogismi distributio sit non univoci in Univocata sed Analogi in Analogata, eò quod principia Syllogistica uni speciei magis insint quam alteri,

alteri, simplici actualiter & apertè; composito virtualiter & involutè, dum formalem consequentiam â simplici dependenter accipit (3) *â simpliciori medij investigatione*, Hoc enim in Syllogismis simplicibus est simplex, incompositis compositum, siquidem in his omnes partes quæstionis complicantur in propositione. Complicatio autē insinuat compositionem. Probè igitur notandum quod Syllogismus hoc loco dicatur simplex non ἁπλῶς h. est simpliciter & absolutè; sed συγκριτικῶς & comparatè, quia in eo non fit talis compositio, sicut in Syllogismo composito, atq; sic manifestum est non omnem Syllogismum esse compositum.

## ADDITAMENTA.

### *An Astrologicæ prædictiones ex Gen. 1. v. 14. probari & tolerari queant?*

Dist: 1. inter *prædictiones apodicticas* quæ necessariæ sunt veritatis, & inter *prædictiones opinativas* seu probabiles. Dist: 2. inter *res prædicendas* pendentes vel ex *causis naturalibus* partim *ordinariis* quæ per se naturæ necessitate sequuntur: partim *inordinariis* quæ ob impedimentum quoddam non semper ex naturæ necessitate proficiscuntur; vel ex *causis arbitrariis*, quæ tantùm ex libero hominis arbitrio emergunt. Unde Dico I. Prædictiones pendentes ex causis naturalibus ordinariis apodicticæ sunt. Quæcunq; per se & Naturæ necessitate regularem observant motum & constitutionis ordinem, de iis certa astrologica fieri potest prædictio. Atqui res naturales ordinariæ ut Conjunctiones Planetarum, Ecclipses &c. sunt tales. Ergo. Dico II. Prædictiones pendentes ex causis naturalibus inordinariis sunt tantùm opinativæ. idq; 1. *ob effectuum stellarium imperfectam cognitionem*, quæ cum adhuc ad complementum cognitionis nondum pervenerint, certi quidquā exijs hariolari haud poterit, cū ex rebus ignotis & obscuris nulla certa emergat scientia. 2. *ob Naturæ naturantis liberam actionem.* Deus enim suo nutu tempestates iratus vel placatus dirigit, ita ut quamvis tùm Stellæ habeant vim inclinandi, haud tamen ex-

exerceant vim necessitandi. 3 *ob Naturæ naturatæ passivam mutationem.* Fieri enim potest ut licet Astra ad hanc vel illam tempestatem excitandam sint disposita, attamen tellus perpetua exsudat effluvia, ex quorum diversitate diversa gignuntur meteora ac tempestates, quin & subinde ex fumarijs plurimi colliguntur fumi ut ita alia atq; alia suboriatur aëris constitutio. Dico III. Prædictiones pendentes ex causis arbitrariis sunt penè impossibiles. Liquet id [1.] *ex Scripturæ testimonijs*, quæ astrologicas istas prædictiones damnat Lev. 20. v. 27. Deut. 18. v. 11. Esai. 41. v. 23. c. 44. v. 25. c. 47. v. 13. Jer. 10. v. 2. Eccl. 10. v. 14. 1. Cor. 2. v. 11. [2.] *ex rationum momentis* ut sunt potissimùm (a) *universalis rerum cognoscendarum indigentia.* Nam omnium causarum notitia, ex quibus divinatio emergit Astrologi non norunt. Ergò & ipsorum prædictio erit incerta. Sicut enim se res habet ad Esse, ita quoq; se habet ad Cognosci. Jam verò ad generationem futurorum effectuum peculiarium non modò concurrit Cælum ut causa universalis, sed & causa particularis: Cum enim causa universalis indeterminata sit ad producenda quælibet effecta particularia necesse est ut determinetur per causas particulares. Has autem quoad naturales proprietates tum specificas tùm individuificas cognoscere ferè impossibile est, ideo quod non saltem hominis nativitas sed & ea quæ nativitatem procrearunt expendenda veniant; quamobrem huc conducit 1. *tempus sationis* quæ est ex semine Parentum, quorum natura studiosè indaganda ac rimanda 2. *tempus collectionis* quo semen in utero collectum incipit conglutinari. 3. *tempus formationis* quô fœtus primum formatur in vitam 4. *tempus absolutionis* quô adultus infans in utero Matris à vinculis se absolvere annititur. 5. *tempus Eruptionis* quo infans solutus erumpit ex alvo. Erumpentis autem conditio sequitur præcedentem conditionem annitentis. Singula ista tempora necessariò diversam exhibent crasin ac temperaturam, ut ita tota hominis natura juxta eadem variet ut idipsum probè observare docet *Ficinus* in interpr. lib. Plotini cui titulus est: *Utrum Stellæ aliquid agant?* Posito jam omnia istacè exactè fuisse observata, attamen homo vel educatione

vel

vel etiam institutione corrigi potest ut ad meliorem reducatur frugem, ubi ergò fatum istud manebit? (b.) *fallibilis rerum futurarum præscientia* Etenim actiones aut passiones hominum ab Astrologis istâ prænuntiatione cognoscerentur aut ratione actus quando actualiter jam sunt constitutæ, aut ratione potentiæ prout in suis latent causis. Non ratione actus quia adhuc futuræ sunt nec per se actu sunt. Quod autem non est actu ut est, id non intelligitur. Non ratione potentiæ quia notitiam eam hausissent, aut ex Deo, aut ex Cælo, aut ex humanâ voluntate Non ex Deo vide Es. 40. v. 13. Rom 11. v. 34. Non ex Cœlo, futura enim quæ pendent ex voluntate hominis è Cælo cognosci non possunt, partim quod Causa universalis particulares effectus efficienter non determinet; partim quod Cælum tanquam causa materialis in rem immaterialem videl: animam directè non agat. Non ex humanâ voluntate, hæc enim est proximum humanarum actionum principium, quæ cum à liberâ voluntate dependeant, easdem Astrologus præsentire non potest. (c.) *futilis istarum rerum confidentia.* Nituntur enim isti Astrogoli suâ divinatione aut scientiis aut opinionibus. Non scientiis quia principia demonstrativa nulla habent uti ex datis rationibus satis colligitur. Si opinionibus, sunt illæ aut certæ aut incertæ. Non certæ quia nec præteritorum sunt nec præsentium sed tantùm futurorum. At futurorum contingentium non est determinata veritas. Erunt ergò incertæ atq; ità erroneæ. [3.] *ex Gemellorum exemplo* qui uno tempore concepti & nati dispares extiterunt ingenio, cum tamen sub eadem constellatione nati similitudine morum ac ingeniorum præditi esse deberent, propterea quod ex iisdem causis eadem proficiscantur effecta. Exempla ubivis ferè occurrunt: inter plurima bina subministrabo quorum alterum est sacrum, prophanum alterum. Illud videre est in Jacobo & Esavo qui uno eodemq; concubitu ut Paulus loquitur Rom. 9. v. 10. sati eodemq; tempore nati, dissimillimis tamen constitutionibus naturis ac moribus fuerunt. Hoc reperitur apud *Cicer.* l. 2. de Divin. de Proclo & Euristhene regibus Lacedæmoniorum, qui licet fratres gemini fuerint, tamen eorum & exitus vitæ dissimilis & gloria rerum gestarum dispar fuit. Anne ergò ista disparitas prævideri potuerat

potuerat è Cælo? nequaquam, quia naturulis causa uno eodemq; agit modo etiamsi in diversis Subjectis dissimiles videantur effectus. Quando igitur Gen. 1. v. 14. de Stellis dicitur quod sint signa, tunc non intelligendum hoc est de quibusvis Genethliacorum vanis prædictionib. sed de eventibus naturalibus, ut sunt Ecclipses solis & Lunæ, Prænotiones ventorum & tempestatum. Quomodo ipse Christus Math. 16. v. 2. rubedinem cæli facto vespere serenitatis indicium, assurgente autem aurorâ tristis tempestatis signum præbere docet; & ratio dari potest quoniam matutina rubedo indicio est multam vaporum copiam aggregatim consarcinatã Solem sub ortum concomitari, quæ mediam aêris regionem subintrans frigoris circumobsistentiâ premitur ut hinc in pluvias ire necesse habeat. Vespertina autem vel Serotina rubedo testatur exhalationum hubertatem discessum ex nostro Hemisphærio meditari, quæ si unà cum Sole devergente proficiscatur aêr à tempestuosis halitibus immunis, posteræ diei serenitatem spondet ac pollicetur. Præterea Signa præbent Stellæ partim ordinaria partim Extraordinaria. Ordinaria sunt aut practica aut didactica. Extraordinaria denuntiant vel Dei iram vel ejusdem gratiam quæ fusius hîc persequi nostri non est instituti.

*An Esavus ob hirsutiem Gen. c. 25. Monstrum dici queat?*

In affirmativam sententiam inclinat M. *Christoph. Irenæus* qui in Tractat. Germ. de Monst. c. 2. probare satagens etiam ante Christi Salvatoris nostri incarnationem Monstra fuisse, suæ opinionis assertionẽ inter alia etiam exemplo Esavi stabilire conatur. Verũ iniqua hæc est Sententia. Si enim Esavus fuisset Monstrum utiq; *vitium Naturæ aberrantis* deprehensum fuisset aut *quà corporis ipsius substantiam*, aut *quà externorum accidentium concomitantiam. Si primum* humanam Speciem aut *mutatione negavit* aut *eandem servavit.* Non *mutatione negavit*, quia à natura humanæ speciei & quæ eam necessariò consequuntur minimè fuit alienus. Si autem *servavit* utiq; aliquâ enormitate ac deformitate à reliquis Hominibus diversus apparuit vel *quoad sexus disparitatem* vel *quoad partium aliarum illæso sexu qualitatem. Non illud*, quia sexus utriusq; speciem corpore suo instar Hermaphroditi non tulit, cum ex Sacris nulla-

nullatenus id venari queat. *Non hoc* quia notabilis aliqua aberratio in ipso deprehensa fuit neq; 1. in membrorum debitorum multitudine, neq; 2. in partium corporis magnitudine, neq; 3. in unitatis & conformationis partium rectitudine, Utrobiq; vel excessum vel defectum eum passum fuisse nullibi legitur, sed potius colligitur in eo omnia membra & optimam omnium partium symmetriam, omnes animæ & corporis competentes qualitates, & harum deniq; qualitatũ gradus apparuisse; fuit enim homo robusti corporis, callidi & astuti ingenij, heroici animi, quî ergò monstrũ dicendus erit? *Si Posterius*, rubedo & hirsuties latè dicta fuerunt aut *signa monstrosæ imperfectionũ* aut *adultæ perfectionũ*. *Non monstrosæ imperfectionis*, quia extrinseca illa accidentia ipsius substantiam perfectione suâ defraudare non poterant, si enim defraudarent utiq; accidentia majori pollerent agendi δυνάμει atq; efficatiâ quam Substantia. At hoc non, quia omnis vis accidentium dependet à Substantia, cum omnis actio à valentiori procedat principio. Defraudatio igitur ejusmodi potiùs adscribenda Substantiis quam Accidentibus. At præter hæc Accidentia in Esavo nil monstrositatem quod causaret inveniri potest. *Sed* tandem illa hirsuties *erit signum adultæ perfectionũ*, patet quia 1. Hirsuties seu Pilositas à seminis parte crassiori & terrestriori ac insimul unctuoso suum agnoscit ortũ, ita ut intra uterum Materia generationis dicatur, dum à facultate pilifica crines formentur & disponantur, quod fusiùs probat *Experientißimus Dn. Doct. Daniel Beckerus* in Microcosmolog. disp. 4. de Pilis & Ung. Credibile ergò est partem Seminis crassiorem & pinguem in utero Matris potissimùm in Esavum traductam ac igneo corporis sui temperamento foràs esse protrusam, id quod naturaliter fieri posse inusitatum non est, testatur enim *Realdus Columbus* quendam Hispanum in omni corporis parte pilis refertissimum, itemq; Vestalem quandam simili modo pilosam fuisse, quos tamen homines non ut monstra sed ut Substantias indefectibiles introducit l. 3. de re anat. c. 2. Huic accedit *Mela* qui l. 3. c. 4. scribit: Carmanios toto corpore præter capita ferarum more esse hirsutos qui sine veste & fruge, sine pecore ac sedibus, piscium cute se velent carneq; vescantur. Et *Simon Majolus* in dieb. canic. p. 88. ex

*Pigafetta* refert in Insulâ Buthuan admodùm pilosos degere homines quia 2. nonnulli ob naturæ perfectionem Esavum dictum volunt eò quod naturâ sit quasi perfectus homo. Pilositas enim perfectæ ætatis signum erat quatenus erat effectus adulti hominis ut censet *Cajetanus* referente *Pererio* in Comm. sup. 25 c. Gen. p. 761. & ex eo Dn. Sperling. Disp. Phil. de Monstr. Concludimus itaq; Esavum monstrum non fuisse.

*An Pythonissa 1. Sam. 28. v. 11. verum Samuelem in Conspectum Saulù produxerit?*

Negamus idipsum contra Pontificios, quos sequentibus oppugnamus rationibus, quæ desumuntur 1. *ab inconvenienti:* Si enim Verus Samuel prodijsset dicendum est, quòd fuerit aut *Samuelis anima*, aut *corpus*, aut *totus Samuel animâ & corpore constans. Non* (1.) *anima*, incitata enim fuit illa ad hoc opus perficiendum aut *virtute divina* aut *Diabolicâ*. *Non Virtute divinâ*, nam indicat id (a) *Petitionis Sauli recusatio*, quâ Jehovah ipsum responso dedignatus fuerat, Sam. 28. v. 6. ita, ut neq; per somnia, neq; per sacerdotes, neq; per Prophetas opem consilij explorare quiverat, eò quod non ex verâ ac sincerâ pietate sed ex cordis pravitate orationem in Deum direxerat. At oratio ex animo non profecta penitus à Deo est rejecta, quod enim ex animo non fit, perinde est ac si factum non sit. (b) *Præcepti divini prævaricatio*, dum ad Pythonissam (quam Abneris matrem hariolantur Ebræi, cujus causa vitâ sit donata, teste *Hieronymo* in explic. h. l.) fuerat conversus, à quâ dæmoniacis incantationibus & præstigijs Samuelem suscitari cupiebat, cum tamen expressâ lege à Deo vetitum id noverat, Deut 18. v. 11. Ergo Deus ei non respondit, quia is petitionem illegitimis medijs contractam non exaudit. (c) *Dei super hoc factum indignatio.* Cum enim is ex Mortuorum apparitionibus veritatem seriò prohibeat esse addiscendam Esa. 8. v. 19. & 20. ita ut propter id tali homini internecionem comminetur, utique & Sauiem hinc interfectum evidenter colligitur 1. Par. 10. v. 13. & 14. *Non virtute Dæmoniacâ*, peregit enim id Dæmon *potentiâ* aut *propriâ* aut *alienâ*, videlicet ex permissu Dei. *Non hoc*, repugnat enim illud *Dei* (α) *sanctitati*, cui turpitudinis macula ex hinc inureretur. (β) *Voluntati*

*tati* dum artem magicam hoc ipso approbaret, ac in ipsam consentiret. (γ) *Justitiæ dignitati* quia fuisset Samueli injuriosus, dum magicis artibus eum innuere & Saulis superstitioni assurgere permisisset in morte, qui tamen vivus eandem omnibus modis fuerat detestatus. *Non illud*, quia 1. Diabolus sinè Deo nil quicquam moliri potest. quia. 2. Samuelis anima prodiisset aut *voluntariè*, aut *invitè*. *Non voluntariè*, quia sanctum Virum Diabolo obedientiam præstare absonum est. *Non invitè*, quia animæ Piorum violenter potestati malignorum Spirituum non sunt obnoxiæ, quippè si ijs in vitâ nocere non poterant, quî beatis animabus in manu Dei sitis insultare tentabunt? Non (2.) *Corpus* seu cadaver, illud enim est inanimatum & actiones animæ perficere nequit. Prætereà Diabolus illius Corporis non indiguit, cum formam absque cadavere efficere poterat ac per eandem eloqui. Non (3.) *Totus Samuel corpore & animo constans*, tùm quod negatur de partibus essentialibus hominem constituentibus, id de toto homine negatur; tum quod è mortuis eum resurrexisse fatendum sit. At id infinitæ est virtutis, quapropter nec Sathanæ ejusque ministris attribuendum 2. *ab inconsequenti*. Si verus fuit Samuel, certè Saulis anima in æternæ beatitatis sedem fuisset transvecta, dixit enim, Cras mecum eris. 1. Sam. 28. v. 20. At consequens est absonum, *partim* quod exercuerit ἀυτοχειρίαν, quâ peccavit contra (1) *Legem Naturæ*, dum sui conservationem posthabens violentis manibus vitæ suæ stamina ruperat, (2.) *Legem Scripturæ*, quæ in genere dictitat, Non Occides. At dum seipsum interfecit hominem occiderat juxta enunciatum Augustini: *partim* quod propter iniquitates suas eum perijsse exsertis verbis testetur Scriptura 2. Par. 10. v. 13. Fuit ergo personatus ille Samuel non verus ille Propheta, sed *Spectrum Diabolicum*, potest enim Diabolus transformare se in Angelum lucis, non quidem quoad substantiam, sed quoad præfigurationis æquiparantiam 2. Cor. 11. v. 14. id quod colligitur ex sermonibus, quando eum ex v. 20. Sam. allocutus fuerat. Licet igitur in textu dicatur Samuel, tamen non inconsuetum est, imagines earum rerum nominibus appellari, quarum magines sunt, id quod & hîc contingit. *Dixi* notanter *Spectrum Diabolicum* ad si-

 gnifi-

gnificandum duplicia dari ſpectra latiſſimè loquendo *Naturalia & Diabolica. Poſſe autem Spectra naturaliter fieri, non impoßibile eſt,* ſi modo duæ conditiones adſint, Videlicet 1. aër Craſſus tenebricoſus & caliginoſus. 2. Viſus hebetior, qui contingat vel ex decrepitâ ætate, vel ex oculorum lippitudine & debilitate, vel ex vehementi oculorum perturbatione & turbabilitate, quæ duo conjunctim ſi adfuerint, facilè ſpectrum quoddam apparebit ipſâ experientiâ teſte, dum nonnulli homines mirabilia cernunt, cum tamen alijs eadem videndi non detur poteſtas. Etenim in tali aêre imago noſtra facilè reflecti poteſt, id quod ex Opticâ doctrinâ addiſcere licet, quæ reflexionem radiorum Corporis cujuslibet fieri non ſolùm à ſpeculis, ſed etiam ab aquâ, aëre denſo, caligine & vapore roſcido dictitat, (ut nuper hoc ipſum invenit & confirmat *Johannes Pem* Regius Mathematicus in præfat. de uſu Opticæ ad Principem Carolum Lotharing. Cardinal. edita. Caſelis) quam imaginem acies retuſior apprehendens ſpectrum ſe vidiſſe talis homo profitetur. Expertus id ipſum eſt Oreſtes, qui vigilijs, metu, mærore & animi ægritudine confectus, imaginem ſuam ab aêre reflexum cernens in lectulo, furias à Matre injectas ſe videre ſenſit, ut hinc exclamare coactus fuerit:

*O Mater obſecro uoli me perſequi*
*His furijs aſpectu anguineis horribilibus.*
*Ecce, Ecce me invadunt, in me jam ruunt.*

Confirmari id ulterius poteſt duplici exemplo reflexionem aêream hanc approbante. Primum ſubminiſtrat *Ariſtoteles* in Meteorol. de Anthipheronte, qui noctu in aêre nubilo & Craſſo ſui ſpeciem velut in ſpeculo oculis animadverterat expreſſam. Alterum indigitat *Vitellio*, qui ſocium habuit Studioſum & pervigilem, is cum noctes aliquot inſomnes duxerat, peregrè conticinio ſemel profectus, per fluminis crepidinem obequitando, in aêris caliginoſioris ſpiſſitudine alterum equitem vidit ſibi præeuntem, atq; omnia penitus facientem, quæ ipſe faceret. Hoc miraculo attonitus, cum tandem ad Vitellionem redijſſet & oſtentum narraſſet, ab eo intellexit ſe ſibi terrori fuiſſe, nèc quicquam aliud vidiſſe, quàm ſui ipſius ſimulachrum ab aere denſo & roſcido reflexum.

An

*An Paulus, quando raptus fuit in tertium Cœlum, fuerit in Ecstasi?*

Altum quiddam sapit hæc quæstio ac difficilis est explicatu, eo quod D. Apostolus ipse nescíverit, utrum in corpore an verò extra corpus fuerit. h. e. ut alij exponunt, an corpore suo de loco in locum deportatus, an verò per dimotionem animi Ecstasin passus sit, ut ita impudens ista inquisitio pronunciari queat omninò juxta *Augustin.* contra Pelag. l. 3. v. 23. id scire volentium quod se ille cui hoc præstitum est salvâ utique fide nescire testatur. Attamen cum frequens inter literatos de eodem instituatur disceptatio, utique nos cymbam disquisitionis vastitati maris committemus bellicosissimis quarundem distinctionum eam præmunientes tormentis, quibus tutò ad portum veritatis quodammodo appellere queamus. Ut ergò felicius progrediamur, distinguimus nos inter *Ecstasin* (quæ latissimè accepta notat dimotionem rei alicujus è statu, in quo erat) partim *Impropriam*, partim *propriam*. *Impropria* est aut *Melancholica*, quæ Medicis Mania dicta morbus est designans vehementem motionem & aberrationem mentis: aut *Diabolica*, quâ Sathan sensus Magorum exteriores ligando mira Phantasiæ ipsorum injicit, ut isti certò sibi persuadeant animas extra Corpus fuisse abreptas, & ad nocturna Comitia (auff den Blocksberg) translatas. At *Ecstatica hæc animorum extra Corpus abreptio merum Dæmonũ est ludibrium*, Utpote cum eidem id impossibile sit factu, quia sic corpus ipsarum aut est vivum aut mortuum. Si vivum, erit illud animatum, at animatum non est, animâ quod vacat. Si mortuum, utique vi dæmoniacâ mortuorum resurrectio fieri potest. at id contra Scripturam, Deut. 32. v. 39. quia 2. si anima foret extra Corpus, aut unum, aut duo tunc erunt ὑφιστάμενα. Non prius, quia sublatâ parte essentiali videlicet, animâ hominis, essentia non manet salva. Atque sic neq; existentia, cum illa ab hac realiter non differat. Si posterius', dic quæso, quomodo essentialiter uniri & coalescere possunt? Nullo certè modo. Quæ enim per se subsistunt, actuq; divisa sunt, nullam sui mutationem subeunt. actus enim actui non unitur, nec subsistentiæ subsistentia. Non tamen exinde diffitendũ Magos oleo quodam illinitos in profundissimum quendam som-

num Ecstaticum incidere, utpote cum Analogia quædam cum Ecstasi propria intercedat. *Ecstasis propria* est vel *perfecta* vel *Imperfecta*. *Ecstasis perfecta* est talis conversio sensuum externorum ad interna, ut nec passio corporea nec motus externus precipiatur, & virtus imaginatrix ab operibus domesticis feriata concipit & tractat peregrina & sublimiora, quam pro captu sensuum. *Imperfecta* est, in quâ non omninò cessat operatio Phantasiæ cæterarumq; animi facultatum. *Hæc* naturaliter fieri potest, *Illa* non item: *hæc* est partialis unius scil. vel plurium sensuum ligatio, *illa* totalis omnium scilicet facultatum tam animalium quàm naturalium cessatio. (dico naturalium, quia nec cordis motio nec vitalis calor in ijs deprehenditur ut vel hinc eos mortuos esse subdubitetur) *Hæc* hominibus accidit κατὰ φύσιν, *ista* solùm κατὰ δύναμιν divinam. Ratio hujus rei est in promtu, quia propria à suis subjectis salvis illis manentibus separari non possunt, neque ab operationibus naturalibus planè inhiberi nisi absolutâ Dei potentiâ, uti id probatum fuit disput. 7. Antil. 4. Cum itaq; in Ecstasi perfectâ à cessatione actuum naturalium & phantasmatum dependentia ferietur anima, sequitur ad Ecstasin perficiendam virtute divinâ opus esse. Convenit tamen Utraq; in eo quod anima in altiorem vim agendi rapiatur. Ut enim ad tam excellentem cognitionem perveniat, veritatis amore ducta penitiorem sui attentionem intra se colligendo unicè in id incumbit cæterarumq; facultatum functiones deserendo operationibus suis privat licet non æquabiliter. *Ecstaseos imperfectæ* plura subministrari possunt exempla, pauca delibabo. Chrysippum testis est *Erasmus* in Colloq. ita speculationibus Logicis intentum egisse, ut nec potus nec cibos ante se positos adverteret fameq; periturus fuisset, nisi Ancilla Melissa cibos in os gessisset. Thomas Aquinas Parysiis cum Rege cænans ita cogitatis alienatus est, ut nec cerneret, quo loco esset, nec oculis conniveret, sed percussâ manu mensa exclamaret: Adversus Manichæos concluſum est: Argumento enim quo Manichæorum dogma everteret detinebatur. *Ecstasin perfectam* tantùm nostrum intendit problema; Ad cujus enodationem potiora sunt ruminanda vocabula heîc loci occurrentia, videl. Tertij Cæli & Raptus.

*Tertium*

*Tertium Cælum* non innuit 1. *Cælum naturæ* sive aereum, Gen. 1. v. 16. Matth. 6. v. 26. Luc. 8. v. 5. sive æthereum omnes sphæras cæleſtes comprehendens, Levit. 26. v. 19. Deut. 28. v. 23. Non 2. *Cælum gratiæ*, de quo loquuntur Chriſti comparationes, Matth. 13. v. 24. c. 18. v. 23. c. 20. v. 1. c. 22. v. 2. Sed 3. *Cælum gloriæ*, ut Matth. 18. v. 10. & hæc ſignificatio poſtrema hujus eſt loci, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur cœlum, quod v. 4. Paulus nominat Paradyſum. Eſt autem hoc Cælum gloriæ non ſupra omnes aſpectabilis hujus Mundi machinas evectum ut volunt Calviniani, ſed ubicunq; Deus eſt cælum illud ſecum habet. Unde ita colligo. Si Paulus raptus eſt corpore ſuo extra Cælorum machinas quod ſitum eſt ſuper firmamentum: raptus ille factus eſt aut ſucceſſivâ motione aut in inſtanti. Si motu ſucceſſivo & pedetentim raptus eſt factus, utiq; propter immenſam diſtantiam aliquot anni aut ad minimum aliquot menſes fuerunt requiſiti & viſibilis fuit adſcenſus, ſi non aliis Paulo certè notus, quæ omnia negantur 2. Cor. 12. v. 2. Sin verò in inſtanti corpus ejus tranlatum eſt utiq; factum illud eſt aut potentiâ naturali, aut potentiâ ſupranaturali. Non illud quia id naturæ eſt impoſſibile. Si hoc utiq; Calviniani proprio ſeipſos jugulant gladio dum concedant oportet, id corpori Pauli, quod corpori glorioſo Chriſti negant. Si enim Pauli corpus adhuc animale ac phyſicum valuit perrumpere corpora: cur Chriſti corpori hanc facultatem abjudicant ut lapidem ſepulchralem & januam clauſam penetrârit. Quod cum ita ſit non poſſe Cæli & Paradyſi vocem de Cælo Empyreo intelligi ecquis non intelligit? *Raptus* eſt ſpecies revelationis intellectualis, quando Deus alicujus intellectum elevat ad intelligendum ſupranaturaliter, quod aliter intelligere non poterat. Hujus revelationis tres vulgò conſtituuntur Species. Prima eſt *Viſio* interna, quando Deus ſanctis hominibus modo interno ac myſtico arcana revelavit, iisq; ſingulari Spiritûs Sancti inſtinctu futura patefacit, quò pertinent viſiones Prophetarum. Secunda eſt Ecſtaſis, quæ ſupra fuit definita, quò nunnulli referunt exemplũ illud. Act 10. v. 10. Tertia eſt *Raptus*, qui *eſt* elevatio in id, quod eſt ſupra naturam vi ſuperioris naturæ. Ex hiſce *Dico Pauli hunc actum non fuiſſe 1. meram viſionem internam*,

Cum

Cum hæc sensibus proprias functiones naturaliter perficiendas non demat, quod tamen Paulo experiri non licebat. Non 2. *meram Ecstasin* quia illa diversa est ab ea, quam Ecstasin Petrus passus erat, Act. 10. v. 10. Ubi viderat Cælum apertum & descendens vas linteum quatuor initijs alligatum, de cujus visionis mirabilitate quidem hæsitaverat, utpote cum illa admiratio ex facti adimpletione sublata fuerat, ut hinc mirari desierit, non autem de modo Ecstatico. At hîc Paulus hominem quidem novit modum verò Raptus planè ignoravit. Non 3. *merum Raptum*, si videlicet Ecstasi & visioni directè opponatur, tum quòd in illo visiones viderit, tùm quod perfecta Ecstasis eidem non parum convenit, quod si Raptus priora duo includat strictè loquendo dicendum potiùs fuisse Raptum quam Ecstasin; illum ergò si complexivè 4. *Raptum Ecstaticum* nominare volueris, non abs re erit, præsertim cum modus illerationi nostræ penitus sit incomprehensibilis. Quibus ita ad finem deductis ac decisis, simplicis hujus meæ opinionis nudam duntaxat probabilitatem asscribo, firmæ demonstrationis autem veritatem non tribuo, utpote de quâ ipsi Apostolo nihil certi constitit.

*Cur Aures nimio sonitu læduntur?*

Respond. fit id ideo quia omnis sensus consistit in mediocritate. Quantò magis ergò ab ista mediocritate exceditur tantò magis sensus debilitatur. Omne enim nimium naturæ est inimicum. E contrario autem itinere mediocria neq; in excessu neq; in defectu sunt constituta, quapropter organa non lædunt, sed suaviter afficiunt & titillant cum moderatione. Moderata autem durant. Cum ergo aures mediocritatem sonus requirant, fit ut nimio sonitu organum lædatur. Idem contingit etiam in reliquis sensibus; Sic *oculi subitaneo Candelæ accensæ adventu læduntur* ut enim pupilla oculi in loco tenebricoso ob luminis inopiam dilatatur, ita ex subitaneo lumine ob ejusdem copiam depravatur. Cujus causa D. T. O.M. ex singulari providentia inter diem & noctem crepuscula interjecit, ut per successivam tenebrarum cum lumine permutationem visus animalium non læderetur, sed reficeretur.

# ANTILOGIA I.

Disp. XV. *Respond.* Nicolao Beistio, Marchiaco.

## Euporia in Logicis est tradenda: Et Euporia in Logicis non est tradenda.

DIst. Inter *Euporiam materialem partim omnimodam* & universalem in qua ostenditur quævis materia ex quâ medium deduci debet, partim *aliqualem* & specificam quæ est ex inventione propositionum maximarum: & inter *Euporiam formalem* quæ modum & formam medium terminum in quavis materia educendi subministrat; Estq; nihil aliud quam affectio Syllogismi modum inveniendi medij termini ostendens. Vocatur alias (1) *Pons asinorum*, quod eam haud emunctæ naris homines ingenio segni & asinino non apprehendant. (2) *Umbilicus totius Philosophiæ* quod in hoc per omnes Philosophiæ partes logicus se exercere queat (3.) *Ars Lulliana* quod eam Raimundus Lullius pro singulari mentis acumine quo pollebat excoluerit.

### Concl: 1. *Euporia materialis in Logica non est tradenda*

Si enim hæc in Logica esset tradenda sequeretur 1. *Omnium disciplinarum confusio* quâ omnium materiarum varietas permisceretur & in unum Chaos compingeretur. Dum enim medij termini inquisitio in omnibus omninò materiebus nullâ planè omissâ foret instituenda, una duntaxat efficeretur disciplina ad quam omnes materiæ essent expendendæ. At hoc ἄλογον, quia à confusis semper est abstinendum, cum distincta distinctè debeant pertractari. 2. *Logicæ in Disciplinas reales dominatio*, sequereretur enim quod omnes illæ disciplinæ in reali medij termini inventione Logicæ essent subjectæ. At hoc ἄσοφον quia scientiæ particulares in reali medij termini inventione Logicæ non supplicant, non pulsant ostiatim, domi habent quô victitent. Frustrà enim ageres, cum disputandum

sit, ad Asinorum pontem mendicabuli instar si te abjiceas à quo nihil impetres inquit *Exercitatissimus Dn. Doct. Danhawer* Epit. Dial. c. 10. p. 321. 3. *Realis logicæ Disciplinæ Contemplatio.* Dum enim sese dimitteret ad omnium Disciplinarum materias pertractandas haberet pro objecto res absolutè consideratas citra intentionum secundarum inditionem, atq; sic ab objecto legitimo detruderetur. At hoc ἄπορον, siquidem omnes Disciplinæ materias pertractandas pro objecti ratione Logicæ mutuantur, quod sicuti est affectum etiam ipsæ materiæ tales existunt. Jam verò quia supra probatum objectum logices esse Ens quatenus intentionibus substat, utiq; entia realia absolutè considerata relinquere tenetur Disciplinis Objectivis à quibus in esse specifico & formali discernitur.

## Concl: 2. *Euporia & Materialis specifica & formalis in Logicis est tradenda.*

Dico 1. *Euporia materialis specifica* præscribit enim Logica ad generalem medij termini investigationem speciales titulos quibus quasi manuducimur ad fontes vel res ipsas in scientijs traditas, & hæc Euporia spectat solùm ad Syllogismum Dialecticum seu Topicum, ex quò non tantum argumenta sed & declaramenta ut ait Piscator desumi possunt. Dico 2. *Euporia formalis* hæc enim propriè hujus est loci & prob. quicquid insignem habet usum logicalem id in Logicis est pertractandum. Atqui Euporia formalis insignem habet usum logicalem. Ergo in logicis est tradenda. Min. prob. quia docet inventionem medij termini in forma Syllogistica disponendam, quatenus medium est vel antecedens vel consequens vel repugnans subjecti vel prædicati. Regulas ad medium necessarias videsis in libellis Logicis. Heîc solum Euporiæ formalis usum paucis perlustrabimus eumq; horum versiculorum medio: Napcas Cipinis vel Nipis, Cesrepe, Cepres: postremò Nosrop, medium sic invenis omne. In quibus ad duo respiciendum (1.) ad vocales A. E. J. O. V. (2.) ad Consonantes, ceu sunt N. Significat antecedens. C. consequens. R. Repugnans. P. prædicatum. S. Subjectum (3.) ad ipsas voces quarum prima conducit quæstioni univers. affirmanti quia habet vocalem A. Secunda & tertia particulari affirmativæ quia habet vocalem I, & sic Consequenter. Sit Exempl. *An Omnis Voluptas sit*

*Bona.*

*Bona.* Circa quam quæstionem respice ad prædicatum cujus itidem (a) inquire *antecedentia*; ut sunt Felicitas, Sanitas, bona corporis constitutio &c. (b) *consequentia* ut sunt eligendum appetibile, emolumentum &c. (c.) *Repugnantia* ut: fugiendum, malum, noxium inutile, imperfectum 1. ad *Subjectum* cujus investiga (α) *antecedentia* ut valetudo, gloria, abundantia, vita sine labore (β) *consequentia*. ut vita sine molestia, actio secundum naturam appetibile, eligendum &c. (γ) *repugnantia*. ut morbus, mæror, tristitia, labor. Fiat jam conclusio universalis affirmat. Disponenda illa erit juxta primam vocem NAPCAS in qua inquire conseq. Subjecti & antecedens prædicati. Ut omne appetibile est bonum. Voluptas est Appetibilis Ergo est bona. Vide *Barthol.* egregiè hoc ipsum dilucidans Enchrid. log. part. comm. l. 3. p. 291. & in seq.

## ANTILOGIA II

### Sorites est Syllogismus imperfectus: Et Sorites non est Syllogismus Imperfectus.

Dist. I. inter *Soritem* qui est vel *legitimè dispositus*, cujus membra necessariò & essentialiter sunt connexa: vel *illegitimè connexus* cujus membra duntaxat contingenter & nõ essentialiter sunt copulata. Dist. II. Inter *Syllogismum imperfectum* qui talis dicitur vel ob *illegitimam terminorum dispositionem*, quâ termini naturaliter intra Syllogismum disponendi contra naturam collocantur, ita ut ex prædicato fiat Subjectum & ex Subjecto prædicatum; vel ob *occultam & involutam consequentiæ processionem* quod ordinativam dispositionem syllogisticam occulter. Dist. III. Inter *Syllogismum* imperfectum qui habet imperfectionem absolutam, & inter eum qui habet imperfectionem comparatam in ordine ad perfectiorem.

Concl: 1. *Sorites sivè sit illegitimè connexus sivè sit legitimè dispositus est Syllogismus imperfectus, quoad occultam & involutam consequentiæ processionem.*

*Prius membrum* simpliciter est verum, siquidem ubicunq; mem-

bra Soritis non necessario sunt copulata ibi Soritem falsum existere necesse est, fit autem hoc potissimū duobus modis 1. *Quando termini non subordinati* h.e. notiones primæ & secundæ confunduntur. Ut Johannes est animal, animal est genus, genus est prædicabile. Prædicabile est notio secunda. Ergo Petrus est notio secunda. 2. *quando causæ per se cum causis per accidens combinantur.* Ut qui benè bibit bene dormit qui benè dormit non peccat, qui non peccat est beatus. Ergo qui benè bibit est beatus. *Posterius membrum* patescit, ubicunq; datur occultatio dispositionis Syllogisticæ ibi datur Syllogismus Crypticus. Dicitur enim Crypticus ἀ κρύπτειν occultare quod dispositionem Syllogisticam reddat occultā. Syllogismus autē Crypticus est Syllogismus imperfectus. Atqui in Sorite datur occultatio dispositionis Syllogisticæ. Minor prob. quia in Perfecto Syllogismo dantur tantum tres termini & tres propositiones. In Sorite vero ab ordinaria dispositione receditur, igitur Syllogismus perfectus non est. Hîc *quæritur an Sorites differat à Climace Rhetorica?* A quia 1 *Sorites* constat consequentia & concluditur forma Syllogistica, *Climax* verò tantum continuè procedit sine concludendi modo, Unde si conclusio omitteretur in Sorite, Sorites nihil differret à Climace & sic non esset argumentatio logica, sed figura Rhetorica; Quia 2. Climax respicit tantum orationis elegantiam: Sorites vero dubiæ quæstionis illationem & evidentiam.

## Concl: 2. *Sorites legitimè dispositus non est Syllogismus imperfectus quà illegitimam terminorum dispositionem.*

Antequam hanc conclusionem stabiliamus primum quæritur: *An Sorites sit Syllogismus bonus* A. in negativa sententia est *Fortunat. Crellius* qui part. comm. l. 3. c. 23 Soritem judicat indignam argumentationem, nihilominus tamen eum proprijs principijs refellimus; fatetur namq; Soritem esse reducibilem ac converti posse. At vero reductio supponit formalem consequentiam in Syllogismo reducibili. Quicunq; ergo Syllogismus nullam bonitatem per se agnoscit ille per reductionem nequit legitimari. Jam vero Sorites juxta ipsius sententiam potest legitimari, igitur quin

boni-

bonitatem obtineat, non est dubitandum. Unde jam conclusionem nostram tali modo statam dabimus ac ratam: Ubicunq; datur legitima terminorum & propositionum dispositio contra ordinem naturæ non procedens, ibi imperfectus Syllogismus non est. Atqui verum est prius. E. & posterius. Min. prob. Datur enim vera propositionum â primo ad ultimum ut loqnuntur Scholastici subsumptio veram conclusionem ex concessis propositionibus eliciens. Etenim plures præmissæ per progressionem coacervantur, ita ut prædicatum primæ propositionis fiat subjectum in secunda & prædicatum secundæ propositionis fiat subjectum tertiæ & sic deinceps per quandam catenam, donec tandem primum subjectum cum ultimo prædicato in conclusione conjungatur. Hinc est quod *Ciceroni* l. 2. de divinat. dicatur *Syllogismus acervalis* quod in tali Syllogismo fiat coacervatio propositionum, quarum hæ potissimum occurrunt Conditiones, ut sunt *propositionum* 1. *plurificatio* qua propositiones plurificentur. 2. *Subordinatio* qua una alteri subordinetur. 3. *Affirmatio* ut fiat propositionibus affirmativis; 4. *Per modum perseitatis copulatio*, ut propositiones sint connexæ per se non verò per accidens. 5. *Sub signis universalibus repræsentatio*, ut propositiones sint universales non verò particulares. Negato enim genere superiore totaliter, omnes species deinceps sequentes negari necessum est.

## ANTILOGIA III.

### Syllogismus Materialis in Logica est negligendus: Et Syllogismus materialis in Logica non est negligendus

Dist: inter *Syllogismum Materialem*, qui talis dici potest vel quatenus ex conditionibus materiarum omnium specialissimis depromitur; qua ratione Syllogismus alius est Medicus, theologicus, Juridicus, Philosophicus; vel quatenus ex conditionibus materiæ specialis generalibus desumitur.

Concl: 1. *Syllogismus materialis quatenus ex*

*conditionibus materiarum omnium Specialissimis depromitur in Logica est negligendus.*

Prob. quia 1. instrumentorum notionalium non est varietatem materiarum specialissimam ex professo indagare & indagatam pertractare. Pareret enim modus iste considerandi mirabilem πανπολογίαν proindeq; tenetur potius μακρὰν σιγὴν σιγᾶν altum hac de re agere silentium, quia 2. Si Logica materias specialissimas syllogisticè pertractandas sibi arrogaret, faceret hoc vel ut est *instrumentum* quoddam *generale*, vel ut est instrumentum *speciale*.

*Non ut instrumentum generale*, quia generalis materiarum dispositio & evolutio in universalitate manendo ad specialissimas se materias non dimittit. Ergo perficiet hoc, ut est instrumentum speciale. At verò hoc modo Logica generalis contradistinguitur Logicis specialibus, ut est Logica Theologica, Juridica, Medica, quas speciales materiarum varietates dispositivè indagare non est dubium. Quamvis n. una specie Logica detur quæ Catholicum eruditionis instrumentum est, artificiosè mentem hominis in quacunq; re cognoscenda dirigens; tamen haud incommodè respectu superiorum Facultatum *Logicæ speciales* constituuntur non solum *applicativè* quoad exempla quibus communissimæ præceptiones Logicæ declarentur ex Theologia, Jurisprudentia, Medicina: sed etiam *amplificativè* ratione specialium & locorum inventionis, è quibus domesticum probandi medium depromatur, certis axiomatibus cuiq; facultati proprijs instructorum & observationum quoad materiales instrumentorum logicorum habitudines ac conditiones. Hoc ipso tamen non specificatur sed solum modificatur Logica, quæ verba sunt *Acutissimi logici Prussorum Dn. M. Eisleri* Palæstr. log. consl. 1, p. 38 cujus tùm temporis ego Respondentem egi.

Concl: 2. *Syllogismus materialis quatenus ex conditionibus materiæ specialis generalis desumitur in Logica non est negligendus.*

Prob. 1. *à fine qualitate* qui cum in Logicis dicatur esse veritas, juxta conditionem materiæ se accommodat. Finis enim medijs

dat

dat ordinem & mensuram. At verò is pro triplici materiæ conditione est triplex; vel enim est necessaria vel probabilis vel sophistica, quia ergo finis est diversus etiam diversa dabuntur media ad finem producendum diversissima. Nam finium diversitates introducunt diversitatem instrumentorum. Ex fine enim cui inserviat instrumenti vis affirmatur. Quoniam autem veritas potissimum relucet ex Syllogismo tenetur hic ista media alibi non considerandaq; investigare. 2. Ab *objecti communitate* quod in Logicis sunt res omnes seu rerum materiæ. At verò diversitas materiæ infert disparitatem formæ. Id quod vel inde liquet, quia mens nostra circa rerum tum veritatem tum falsitatem versatur. Quia verò tripliciter materia discurrendo inquiritur uti jam dictum est, sequitur diversitatem materiæ diversam parere intellectus in nobis actionem adeoq; diversum Syllogismum. conf. *Excell. Dn. Jac. Mart.* Cent: 4. Illustr. quæst, Phil. disput. 8. q. 1. 3. *Ab instrumentorum logicorum diversitate.* Ubicunq; dantur diversa Logices instrumenta diversusq; prædicandi modus, ibi diversæ gignuntur considerandi partes. At dantur diversa Logices instrumenta materialia, diversusq; modus considerandi. E. Min. prob. quia instrumenta materialia aliter sese habent in rebus necessariis & apodicticis, ubi immutabilis rerum scientia, unde oritur syllogismus necessarius seu demonstrativus; aliter in rebus probabilibus seu dialecticis, uti probabilis quæsitorum evidentia & oritur syllogismus topicus; aliter ad apparentes speciem veri habentes seu sophisticas, ubi resolubilis fallaciũ materiarum sufficientia & oritur syllogismus fallax seu Elenchticus.

## ANTILOGIA IV.

### Demonstratio est primarium Logicæ medium: Et Demonstratio primarium Logicæ medium non est.

Dist. 1. inter *Demonstrationem* acceptam 1. γενικῶς pro quavis probatione ἐν πλάτει & vulgariter dicta, sive sit necessaria sivè contingens & sic etiam includit syllogismum probabilem. 2. εἰδικῶς pro tali probatione quæ ex immediata κατὰ causæ & effectus fluit

& re-

& redundat. Dist: II. inter *Medium Log. primarium*, quod tale dicitur vel *primitate adæquationis*, quod æqualitatem præcisam subjecti ad disciplinam requirit; vel *primitate attributionis* quod principalem rerum attributionem in Disciplina agnoscit; vel *primitate perfectionis* quod in collocatione cum reliquis Logicæ partibus omnium perfectissimum existit.

## Concl: 1. *Demonstratio γενικῶς dicta non est primarium Logicæ medium sive primitate adæquationis sivè primitate attributionis.*

Prob. quia 1 quicquid neq; æqualiter cum subjecto Logices retrocurrit neq; sufficienter omnia media exhaurit, illud primarium Logicæ subjectum sive primitate adæquationis sive primitate attributionis non est. Atqui Demonstratio γενικῶς dicta neq; æqualem cum subjecto logico habet reciprocationem neq; sufficienter omnia media logica exhaurit. Ergo primarium log. medium secundum utramq; primitatem non est. Minor. prob. quoad *membrum prius* quia Demonstratio γενικῶς dicta tantum materiam Syllogismorum pervagatur quæ tantùm est pars subjecti logici. Omittit enim partem Generalem juxta Peripateticos quæ in formam est sollicita. At quod est pars partis nequit esse pars totius 2. *quoad membrum posterius*. Etenim Demonstratio nequè formaliter apprehensionem rerum simplicium neq; earundem compositionem & divisionem aggreditur, æquipolleret enim h. modo tribus mentis operationibus quod inusitatum. Quia 2. Demonstratio tali modo considerata omnibus medijs logicis restitudinem & dirigibilitatem non subministrat: ipsa enim cum ab intellectu sit dirigenda, reliquis id quod non habet commodare nequit, quia quod quis non habet alteri dare non potest quia 3 Demonstratio primam in logicis non agnoscit sedem, involvit namq; combinationem plurium conceptuum combinatorum, qui semper posteriores sunt conceptibus simplicibus seu apprehensivis. At medium primarium primitate adæquationis semper primo loco est investigandum ac indagandum.

## Concl: 2. *Demonstratio ἀδικῶς dicta est primarium Logicæ medium primitate perfectionis.*

Quod-

Quodcunq; medium infallibilem gignit certitudinem quam nulla alia assequi possunt illud est medium dignissimum ac primarium. Siquidem primitas perfectionis maximam in collatione agnoscit evidentiam. Atqui Demonstratio ἀδιχῶς dicta infallibilem gignit certtudinem quam altera media non assequuntur. E. Demonstratio ἀδιχῶς dicta est medium primarium & perfectissimum. Min. prob. ex definitione Demonstrationis quam suppeditat Ar. l. 1. prior. anal. c. 2. Ἀπόδειξις ἐστι συλλογισμὸς ἐπιστημονιχὸς ἐξ ἀληθῶν, χὰι πρώτων χὰι ἀμέσων, χὰι γνωριμωτέρων, χὰι προτέρων χὰι αἰτίων τῦ συμπεράσματος. Tria igitur antequam hinc abeamus ad accuratiorem harum cognitionem necessaria veniunt indaganda. 1. *An detur Demonstratio* ? Negat hanc ille Ramistarum Antesignanus l. 2. Schol. Dial. c. 3. verum eundem nos impetimus tribus rationibus, quas depromimus 1. à *requisitorum significatione*. Positis enim requisitis omnibus ad rei alicujus constitutionem necessarijs ponitur res ipsa. Jam vero dantur requisita omnia ad Demonstrationem facientia. Reperitur namq; subjectum perpetuum & necessarium, affectiones & principia per quæ affectiones demonstrantur. 2. *à finis concessione* est enim Demonstrationis finis *scientia*. Dato autem fine dabuntur etiam media tendentia ad finem. Esse autem *demonstrationis finem scientiam* vel inde patet. Si enim Scientia non daretur sequitur omnem inclinationē totius speciei quæ ad scientias percipiendas tendit frustratum iri & omnes res esse incertas; incertum an sit numen summū, num nostri curā habeat &c quæ sanè sunt blasphema & in Sacram Scripturam iniqua. 3 *Ab Appetitus humani frustratione*, quem in omnibus omninò frustra haberi absit ut cogitemus? anne homini ideo solum ratio data ut investigaret veritatem nunquam inveniendam? Id verò minus sit quam πεπόμενα διώχειν. Ar. l. 3. Met. c. 5. l. 21. II. *An Demonstratio conficiatur ex Materia* ? A. quia nulla operatio seu scientia oriri potest nisi desumatur ex materia; sublata enim vera demonstrationis materia removetur ipsa demonstratio. Sunt autem conditiones materiæ in duplici differentia, quædam sunt *absolutæ* quæ explicant materiæ constitutionem absq; ulla ad conclusionem habitudine, quædam *sunt relatæ* quæ respiciunt materiam per χεσιν ad conclusionem. *Absolutæ* sunt

tres 1. *Veritas* constat enim omnis demonstratio ex veris, siquidem ex falsis nunquam verum sed falsum infertur, ideò quod falsum subscientiam non cadat. Et enim non Ens. Non-Ens autem cognosci nequit, quia non-Entis nulla est affectio. 2. *Primitas*, ex principijs enim rei proprijs quæ non affirmatur aliunde fit demonstratio. 3. *Immedietas*. Debet enim in Demonstratione inter subjectum & prædicatum nullum dari medium. Quia verò *immedietas* duplex est vel *subjecti* quando affectio Subjecto alicui ineſt non interveniente alio subjecto; vel *Causæ* quando alia interveniens causa dari nequit inhærentiæ prædicati in subjecto. Intelligit Ar. potissimũ immedietatem causæ quæ à priori & ostensivè non demonstratur, eo quia caret medio quo per causam essendi & cognoscendi demonstrari possit. *Respectivæ* sunt (1.) *Notioritas*. Omnis enim Notitia principium capit ex præcognitione & ignotum per notius demonstrari debet, Est autem *Notius duplex*, aliud naturâ, aliud quoad nos. *Notius naturâ* est quod cum ratione essentiæ ab alio non pendeat, ideo perfectè etiam potest cognosci sine alterius cognitione, ut sunt ea quæ longius à sensibus absunt, v. g. abstracta, universalia, causæ, &c. *Notius nobis* est quod utut principium Essendi ab alio habet, cognoscendi tamen principium fit, ut sunt illa, quæ sensibus sunt viciniora. v. g principiata, concreta, singularia &c. Unde dico quod præmissæ sint notiores conclusione naturâ in demonstratione à priori, in demonstratione autem à posteriori notiores nobis. Ita sequitur ex priori, quia quod est prius in esse, illud ex natura sua prius est in cognosci, propter quod enim unumquodq; tale est illud magis est tale. Sed propter præmissas credimus conclusioni, E. conclusio scitur propter præmissas. Notes autem porro quod *Notius* adhuc dupliciter considerari queat vel *ratione certitudinis* vel *ratione evidentiæ*. *Certitudo* est adhæsio quædam firma intellectus. *Evidentia* autem est claritas qua objectum cernitur. Estq; vel *intuitiva* ex nuda terminorum apprehensione oriens; vel *discursiva* ex illatione proveniens: quamvis autem ubi evidentia ibi statim certitudo, non tamen contra ubi certitudo, ibi evidentia, ut patet in rebus mysticis & fidei, quæ certitudinem habent maximã non tamen evidentiam. Utroq; modo præmissæ conclusione sunt

notio-

notiores ut habet *Dn. Weger.* (2.) *Prioritas.* Ex causis enim gignitur demonstratio. Causa vero suo effectu est prior naturâ, quia effectus â causa dependet, non contrà. (3.) *Causalitas* ut demonstratio conficiatur ex causis conclusionum. Inquis: commune hoc esse omni Syllogismo ut constet ex causis conclusionum. Propositiones siquidem in omni Syllogismo sunt causæ conclusionis. Resp. Præmissæ dupliciter possunt dici causæ conclusionum (a) quoad *consequentiam* & illationem. Sic in omni Syllogismo præmissæ sunt causæ & quidem naturâ. At hæc hujus loci non est (b) quoad *Causalitatú potentiam* cum prædicatum subjecto insit, hæc enim quia respuit non ad formam, quam ad materiam, Demonstrationi fit propria. III. *Quænam Demonstrationis sint Partes?* Resp. Partes demonstrationis sunt duplices, aliæ *remotæ* aliæ *propinquæ*. *Remotæ* sunt (1.) *Subjectum* quod constituit medium terminum in demonstratione. (2.) *Affectio* nihil aliud est quam quod de subjecto enunciatur & per principia demonstratur constituitq; majorem terminum. (3.) *Principium* quod medium terminum exhibet, quia verò hæc vox varijs significationum fimbriis est assuta, ex ijsdem nos duplicem divisionis texemus restim; constituentes principia alia esse *Essendi* sunt quæ ad constitutionem alicujus essentiæ concurrunt & distinctam rei cognitionem; alia *Cognoscendi* per quæ res non sunt, sed duntaxat cognoscuntur. Hoc principio in scientijs nihil est prius & notius, atq; in ijsdem neq; â priori neq; â posteriori demonstratur. Sunt autem principia cognoscendi duplicia vel *assertiva* vel *petitiva*. *Assertiva* sunt *definitio* & *Axioma* quod est cujus veritatem sensus & singularium inductio probat. Petitiva sunt Hypothesis & postulatum. II. Distinguitur *principium* in *commune* & *proprium*. Commune est quod multis rebus ac scientiis inservit. Estq; *vel simpliciter tale* quod omnibus vel multis scientijs & artibus est commune, ut: de omni re vel affirmatio vel negatio vera est; vel *secundum quid*, quod licet unius scientiæ proprium sit, tamen pluribus ejusdem scientiæ conclusionibus & demonstrationibus inservit. Proprium est quod uni solùm conclusioni inservit. Atq; hoc tertiam demonstrationis partem constituit. *Propinquæ* ut *propositio demonstrativa* quæ definitivè alterum quod est verum accipit,

Ar.l.1. post.c.2. Accidit huic propositioni tanquam accidens proprium. *Necessitas* quæ est: κατὰ παντὸς καθ' αὑτὸ καθόλου, quorum graduum Aristoteles mentionem fecit libr. 1. post. anal. c. 4. De quibus videantur Scripta Logicorum.

## ANTILOGIA V.

### Omnes homines naturaliter scire appetunt: Et non omnes homines naturaliter scire appetunt.

Dist: I. Inter *appetitum* qui est vel *innatus* vel *elicitus*. *Appetitus* in genere nihil aliud est quam inclinatio & determinatio cujuslibet rei ad propriam electionem aut actionem. *Appetitus innatus* est facultas per quam res bonitatem appetere capax est; estq; vel *impropriè dictus* est naturalis rei propensio, quà fertur in bonũ materialiter sine omni prævia cognitione; vel *propriè dictus* est facultas tendens in bonum prævia cognitione actum appetendi circa illud eliciens. Dicitur alias Appetitus Elicitivus qui iterùm distinguitur partim in λογικὸν seu ratiocinativum, qui dicitur βούλησις seu voluntas. Quodcunq; enim intellectus suâ προαιρέσει, quæ est ἐκούσιον προβεβουλευμένον judicat eligendum, id voluntas eligit: partim in ἄλογον seu sensitivum est facultas animæ sentientis; Estq; θυμικὸς seu irascibilis vel ἐπιθυμητικὸς seu concupiscibilis. *Appetitus elicitus* est actus appetendi bonum prævia cognitione sensuali vel intellectuali. Dist. II. inter *Appetitum ordinatum* qui fertur in rem licitam & modo debito appetendo media ad finem istum ducentia. Et inter *appetitum inordinatum* qui fertur in illicitum, vel si in licitum, inordinatè tamen ut quidem finem appetat sed non media legitima, quibus ad eum pervenitur. Dist. III. Inter *Scientiam* vel *absolutè* vel *collectivè* sumptam pro omnibus disciplinis humanâ cognitione scibilibus.

Concl. 1. *Omnes homines naturaliter scire appetunt appetitu innato sivè impropriè dicto quando confertur ad intellectum, sive propriè sumpto seu elicitivo.*

Prob.

Probo id ipsum (1.) *in genere.* Intellectus n. noster quia post lapsum maximè est corruptus relicta tamen in eo sunt fundamenta ac pedamenta scientiarum ut ait *Scal.* l. 3. de re poët. c. 1. amor studium & appetitus scientiæ. At vero scientia appetitur quoties τῆς ἀσθενείας καὶ ἀδυναμίας συναίσθησις perpenditur, dicente *Ariano*, l. 2. differt. c. 11. Ut enim omne Ens sui appetit perfectionem, appetit bonum, non verò se ipsum: quicquid n. habet & præsentissimũ est non appetitur, cum appetitus sit â privatione *Scal.* ex 307. f. 27. facit ἀμεταπτωτον Ar. l. 1. post. anal. t. 17. (2.) *in Specie* quoad appetitum utrovis modo consideratum. *Patet prius* quia omnis naturalis potentia habet naturalem propensionem & capacitatem ad actum suum, per quem perficitur. Sed appetitus innatus est naturalis potentia, quæ per intellectum perfici cupit. Ergo habet naturalem capacitatem & propensionem, quæ nihil aliud est quam appetitus innatus impropriè sic dictus. *Patet posterius.* Etenim datur appetitus tum in *cognoscente* tùm in *cognoscendo.* 1. in cognoscendo eo quod omnis res per se sit appetibilis, est enim Ens. Omne autem ens est bonum & appetibile. Id autem quod sui gratia appetitur est præstantissimum. Præstantius autem quis non desideret? 2. in *cognoscente* quia intellectus noster per naturam appetit bonum quicquid enim fertur in bonum ut bonum illud propriè actu appetiur, si non semper appetitu ordinato saltem inordinato. Itaq; licet actus innatus elicitivus liber sit quoad exercitium actus, libertate contradictionis; est tamen necessarius & naturalis quoad actus specificationem. Etenim appetitus quando appetit, necessitatur ad bonum per prosecutionem. Nihil enim odisse potest nisi sub ratione mali, quam ut talem in scientia non invenit.

## Concl: 2. *Non omnes homines naturaliter scire appetunt si spectes appetitum inordinatum quoad scientiam collectivè sumptam.*

Prob. 1. Si enim intellectus hoc modo scientiam appeteret, sequeretur eundem ferri in impossibile. At intellectus in impossibile non fertur. Igitur scientiam collective sumptam non appetit. Major quia continet κείνομενον, probatur. Sunt enim scientiæ collectivè sumptæ impossibiles non quidem, absolutè & ex sua natura

sed tantum ob impedimentum idq; tum externum, quod ob brevitatem vitæ hanc cũ aliâ quàm magis appetunt homines se consequi posse diffidant; tum internum quod ad hanc magis dispositi sint, quam ad aliam. Et hinc fit quod multis scientijs propositis, quia homo videt omnium se participem fieri non posse, unam eligat præ alia; in unam magis propensus sit, quam in aliam indeq; alteram relinquat, quam tamen si alteri impedimento non esset efficaciter appeteret. Quia 2. scientia collectivè sumpta carentiam perfectionis agnoscit quoad rei acquisitionem. At verò imperfectum â bonitate deficit, siquidem omne perfectum est bonum & omne bonum est perfectum. Jam verò quicquid deficit â bonitate appetibile non est.

## AUCTARIA.

### *An ex Gen. 37. certò affirmari queat qualenam fuerit Somnium Josephi?*

Ad pleniorem hujus quæstionis cognitionem ac decisionem ante omnia Somniorum distributio enucleanda venit utpotè quâ prælibatâ non difficile erit veritatem hujus problematis adipisci. *Somnia* ergo sunt vel ὑπερφυσικὰ vel φυσικὰ. Hyperphysica sunt aut Δαιόπεμπτα seu *Divina*, quæ à Deo vel immediatè vel mediatè inspirantur ut non de levibus negotiis; sed de Christo, de gubernatione Ecclesiæ, de Imperiis eorundemq; ordine & translatione deq; aliis mirandis eventibus homines admoneantur: aut Δαιμονόπεμπτα seu *Diabolica*, quæ tenebrio Sathan immittit, tùm ut animos hominum terreat; tùm ut eosdem ad libidinem provocet; tum ut corpora obscuris cogitationibus contaminet: tùm ut ignaros homines vanâ superstitione imbuat si eos aliquorum somniorum eventu ad irrogandam iis fidem pellexerit, eaq; hominibus suggerit non species vel lumen aliquod per se in eorundem animas implantando sed vel appositè species Spirituũ ope & ministerio ordinando, vel nonnunquam humores corporis ad alicujus rei cogitationem excitando. *Divina* sunt partim θεωρηματικὰ quæ rerum futurarum eventum quem prænosci vult Deus ab hominibus ut prævideatur, declinetur, avertatur & præcaveatur apertè indigitant. Tale Somnium fuit *Josephi mariti* Virginis Mariæ Deiparæ Math. 1. & 2. item Magorum Math. 2. partim Αλληγωρικὰ quæ sub

sub similitudinis involucro rem ac rei eventum proponunt, qualia fuerunt *Jacobi* Gen. 28. *Pharaonis* Gen. 41. *Nabuchodonosaris* Dan. 4. *Diabolica* in duplici sunt differentia, quædam sunt μεθαμνημαπικὰ quæ ab hominibus impijs ac Ethnicis sollicitè petuntur à Dæmonibus, quorum causâ Lacedæmonij in fano Pasitheæ excubabant, Græci ab Æsculapio somnia inferi credentes, istius templum frequentabant pernoctando, ut ita periti sui fierent compotes ut refert *Peucerus* de divin. ex somn. p. 176. citante *Reneccio* Armat. Theol. Tom. 2. m. p. 124. In hunc censum redigenda sunt Somnia Manichæorum, Enthusiastarum, Anabaptistarum, Weigelianorum, Zwinglij, itemq; Pontificiorum quibus Purgatorium suum extruere satagunt, quale fuit istud *Tundali* apud *Vincentium* l. 27. c. 98. 99. qui inter dormiendum vidisse se perhibuit Cormattum Regem in Igni Purgatorio usq; ad umbilicum sedentem & pro adulterio luentem. Quæ omnia huc meritò revocari debent, eò quod Diabolus hoc ipso homines ad fidem somniis habendam atq; religionis superstitiosæ doctrinam stabiliendam instiget: Deus autem nos unice ableget ad Legem & Testimonium Es. 8. v. 20. ad Mosen & Prophetas Luc. 16. Ut ergò dignosci queant Somnia Divina & Diabolica cape sequentia. Somnia Diabolica sunt nempe (1) Si sint obscæna. (2) Si sint ἀμφίβολα & ludificatoria. (3) si inutilia sint & salutari fine destituta. Et tandem (4) si malum suadeant vel ad vitia invitent de quo prolixè videatur *Justinus Martyr* in resp ad quæst. 21. Orthod. Somnia Divina dignosci possunt [a] *ex rebus*, si sint arcanæ & non nisi soli Deo cognitæ, nec verbo revelato contrariæ. [b.] *ex finibus*, si dirigantur ad Dei gloriam & proximi usum [c.] *ex modo revelationis* si animus singulariter commoveatur adeoq; vi divinâ se moveri reipsâ experiatur. ut docet B. *Dn. Meisner*. Schol Babyl. in c. 1. Dan. part. 3. th. 75. Exempla posterioris generis plurima ex prophanis hûc revocari possunt. Sic Antonius in somno vidit mulos & asinas templa Orthodoxorum devastantes cum Arriana instaret persecutio *Sozom.* l. 6. c. 2. Johannes Wilhelmus Dux Saxoniæ octiduo ante mortem audivit se venturum ad quietem, cum enim in somno vidisset per fenestram chorum Angelorum, qui in areâ arcis varijs instrumentis musicis celebrarent laudes

Laudes Dei, postremò vidit magnum Angelum incedente, in cujus dorso scriptum erat, Bringet mihr dieſen zur Ruhe. Quo somnio consiliariis manè exposito, omninò se composuit ad quietem. *Heshus.* in præfat. exam. *Renec.* clav. Script. part. 2. m. p. 506. Talia somnia homini Christiano observare licitum est. Ut enim in omnibus actionibus, sic etiam in somniorum observatione duo extrema studiosè sunt vitanda. *Alterum* est superstitiosa curiositas: *Alterum* Epicurea securitas. Si omnia expendamus, superstitiosi: si omnia negligamus securi reddimur. Si quippiam læti per somnium promittitur, non efferamur, si quid adversi non dejiciamur: sed illa precari, hæc deprecari, in omnibus divinæ voinntati nos submittere debemus. *Physica* dividuntur in σημαντικὰ & ἀσήμαντα. *Hæc* sunt vel *animalia* seu Vulgaria versantur circa res eas quibus per diem occupati fuimus sc: eas agendo vel de iis meditando, perinde ut in aquâ, vertigine aliquâ fracta apparent orbes alij minores alij Ampliores: sic in cerebro variæ rerum formæ manent, hinc *Claudianus*:

*Omnia quæ sensu voluntur vota diurno*
*Tempore nocturno reddit amica quies.*

vel *Casualia* & fortuita quando ex pluribus imaginibus confusa & indistincta quædam cogitatio suboritur. Suntq; nihil aliud quam fallax sine re similitudo Syr. 34. v, 2. it. Eccles. 5. v. 6. Adeo ut nihil tàm absurdi cogitari queat, quin interdum non obferatur in Somniis, quomodo non illepidè dixit Poëta: *Somnia ne cures, nam fallunt plurima plures.* *Ista* proveniunt è varia temperamenti constitutione, quomodo familiaria sunt somnia *Sanguineis* de rebus jucundis, Convivis, Choræis, complexibus: *Melancholicis* de rebus tristibus, funeribus, tenebris, atris fumis, strangulatione, suffocatione, capitis amputatione, oberrationibus nocturnis, spectris, &c. *Cholericis* de rebus jurgiosis, rixis, præliis, incendiis, ustionibus, volatibus, coloribus flavis: *Phlegmaticis* de rebus aqueis, natationibus, balneis, oneribus incessum gravantibus & impedientibus. Refert *Galenus* l. de præsag. somnior. fuisse quendam qui cum somniasset alterum crus sibi factum lapidem, mox eâ corporis parte paralyticus extiterit, significante ita hoc somnio, materiam paralyseos

jam

jam præsentem. Ad hoc Somniorum genus nonnulli revocare solent notabile illud Exemplum quod extat apud *Ciceronem* l. 1. de Divinat. De duobus Arcadibus unà iter Megaram facientibus, eò cum venissent alter ad Cauponem, alter ad hospitem divertit. Cumautem peractâ Cænâ quieti se uterq; dedisset, per quietem visus est sibi videre is qui in Hospitio erat alterum qui ad Cauponem diverterat orantem scilicet, ut si se salvum velit, illicò subveniat; nam interitum sibi à Caupone parari. Hoc cum ille pro nihilo habendum duxisset, iterùm visus, idem orare ut quoniam sibi vivo non subvenisset nunc mortuo non desit, sed cædem ulciscatur: se enim in plaustrum conjectum stercoreq; contectum manè exportaturum iri, idq; si ad portum adsit facilè ipsum deprehensurum, Commotus igitur tanto somnio tandem solutus ad portam ille perrexit, & cum plaustrum exire videret quid esset in plaustro quæsivit? quâ voce statim perterritus Caupo fugit & mortuus est erutus. *Hæc* plurimas vanitates præ se ferunt à quorum observatione meritò dehortamur Lev. 19. Deut. 18. Hinc scribit *D. Hieronym.* comm. c. 5. Eccles. In multitudine Somniorum & vanitates & verba plurima; cum diversa videris per nocturnam quietem & variis anima fuerit exagitata terrorib. sive incitata promissis, tu ea contemne quæ somni sunt, & solum Deum time: qui in somniis crediderit vanitatibus, se & ineptiis tradet. Causæ autem cur tam multa portentosa in Somniis animo obversentur duæ potissimum teste *Colleg Connimbr.* sunt 1. *inordinata Vaporum ac Spirituum in Cerebro divagatio.* Somniantibus enim hominibus Spiritus tumultuosè in cerebro divagantur, commiscent & hebetant. 2. *Animæ quasi ad segnitiem inclinatio*, quæ quasi otium agens ad usum specierum segniter sese applicat & intentionem negligit, quò fit ut aliena multa & inter se minimè cohærentia conjungat, & modo hæc modo illa, vel quicquid obvium est apprehendendo rerum ordines, situs, magnitudines, loca miris modis evariet: Unde Simulachra teste *Aristotele* c. 3 de Insomn: similia sunt nubibus in aêre pendentibus quæ nunc in hanc nunc in illam figuram ocyssimo se transitu convertunt. Ut igitur ex iisdem literis variè compositis diversa fiunt nomina, quæ res

alias atq; alias significant: ita ex ijsdem speciebus variè coâgmentatis multiplicia idola, dissimiles repræsentationes oriuntur. Hæc igitur causa est, cur nihil tam præposterè, tàm incondité, tàm monstrosè cogitari queat, quod non somniare possimus, etsi nullæ imagines internis sensibus de novo accedant. Unde *Dico Somnium Josephi* non fuisse 1. *Somnium Physicum* seu naturale, fuit enim somnium planè singulare neq; temperamenti ejus constitutionem neq; cogitationis confusionem intendens utpotè cum Parens somnium illud probè dicatur observasse, colligens Deum allegoricâ somnij præfiguratione certi quid intendere. Non. 2. *Somnium Diabolicum* quoniam de rebus impiis, ineptis ac obscænis quibus Sathan eum vanâ superstitione imbuere, multipliciter deludere ac in impietate obfirmare voluerit nil quidquam inspergatur. Sed 3. *Somnium Divinum allegoricum.* Nam fuit illud non ambiguum & obscurum sed planum aliquali similitudine tectum, quo Jova præpotentissimus eventum prænuntiare constituerit qui somnio exactè responderit. At futurorum prænuntiatio & cordis regii perscrutatio non Diabolo sed soli Deo competit Es. 44. Verùm in contrarium objici solet Somnium eventui exactè non correspondisse eò quod Sol & Luna Patrem ac Matrem designent cum tamen Mater jam fuerit mortua Gen. c. 35. v. 18. Variè quidem à variis ad hoc respondetur maximè tamen consentaneum est Jacobum nomine Matris per Lunam intelligere Bilham quam Josephus matris instar habuit ac coluit atq; hinc Gen. 37. v. 2. dicatur fuisse cum filiis Bilhæ, non interim improbantes *B. Lutheri* sententiam qui συνεχδοχικῶς per Solem, Lunam & Stellam totam familiam promiscuè absq; Personarum discretione intelligi existimat.

*An Somnia illa Pincernæ & Pistoris Gen. 40. fuerint naturalia, num Diabolica, an verò divina?*

Non 1. fuerunt *Naturalia*, Deus enim speciali ratione ipsa ijsdem immisit partim ad contestandam divinæ sapientiæ revelationem, partim ad Josephi præcellentem evectionem; partim ad hospitii Israëlitici in Ægypto præparationem. Nec est quod obtendas potius ista naturalia esse nuncupanda eò quod à proprio cujusq; munere & officio sint desumpta. Respond. Deus in nocturnarum

narum visionum excitatione utitur causis Naturalibus id quod dilucidè monstrat somnium Nebucadnezaris, cui rerum post se futurarum cogitationem subienti Deus somnium instillaverat Dan. 2. Non 2. *Diabolica*, licet enim mæroris ac tristitiæ nebula animis eorum fuerit obversata, tamen id evenit non simpliciter & per se ex Somniorum prævenientia sed ex interpretationis carentia sicut id inprimis cernitur in Pistore v. 16. *Ut ergò Somnia Dæmoniaca verè internoscantur*, dupliciter ea contingunt. 1. Si nimis crebro rerum futurarum prænotionem & occultarum præfigurationem exhibeant quarum cognitio non utilitatem sed inanem curiosæ scientiæ ostentationem & futilitatem præ se ferat, quo pacto dæmon ignaros homines in vanâ superstitione praviter deludit & in impietatem graviter detrudit. 2. Si Viris religiosis sobriis & castis obscæna & tetra impietatis somnia contingant ut cum mentis atria Sathan collutulare nequeat, saltem eorundem corpora & obscæna cogitatione & voluptatum illecebrarum præsentatione contaminare annitatur, quæ singula cum in hisce somniis non observentur utiq; nec Diabolica fuisse judicentur. Sed 3. *Divina* quorum θεοπνευσίαν *Dn. Gesnerus* Comm. in Gen. c. 40. memb 2. quinq; rationibus ostendit ceu sunt (1) quia somnia sunt perspicua, plana, non obscura & ambigua cujusmodi sunt ea quæ Diabolus immittit. (2) quia futurorum prænunciatio & cordis regii perscrutatio non Diabolo sed Soli Deo competit Es. 44. & 47. (3) quia eventus præcisè respondet prædictioni (4) quia Joseph eorum interpretationem alioquin se indignam censuisset, nisi illa pro divinis habuisset. (5.) quia deniq; animos gravius feriebant. *Quod si jam quæsiveris quid discriminis sit inter illa Oracula, quæ Deus per somnia edit populo & inter illa quæ quandoq; etiam gentibus edidit extra Ecclesiam...?* Respond: Differunt [1.] *causâ impellente*, Deus enim paternam suam bonitatem ac benignitatem erga pios ad significanda imminentia sivè bona sivè mala hoc ipso ostendit, ut serium Dei amorem ac favorem intelligant ac in cepto pietatis tramite decurrere non desinant. Impiis autem & infidelibus futura quandoq; in Somniis aperienda Deum impellit tum universalis ergà omnes suas creaturas totumq; mundum dilectio, tum singularis quædam erga

regionem vel urbem quampiam μακροθυμία & manſuetudo, ut in Ninive Hyeroſolima Tyro & Sydone apparet; tùm etiam juſta indignatio quâ eos ut meriti ſunt terret ut vel reſipiſcant quod Ninivitæ fecerunt, vel ſi reſipiſcere nolunt ἀυτοκατάκριτοι pereant Rom. 2. [2.] *Causâ inſtrumentali.* Nam Deus in populo ſuo talia eligit organa quæ ſunt templa Spiritus Sancti ut futurorum prænuntiationem juxta Dei verbum interpretentur. Inter gentes autem futurorum præſagia obferuntur quibus Spiritus Sanctus gratiosâ præſentiâ non adeſt, [3.] *Causâ finali.* Somnia enim fatidica infidelibus oblata plerumq; temporalia ſpectant & illis oſtenduntur propter Eccleſiam, ſed vaticinia populo Dei exhibita omnia ad æternæ felicitatis & felicis æternitatis ſcopum collimant.

*An Jonathan filius Saulis mandatum Patris transgrediendo, 1. Sam. 14. excuſari queat?*

Affirmativa ſententia veritati eſt vicinior, Excuſat enim Jonathanem, 1. *Juris particularis ignorantia* quâ ſpeciali & extraordinario Parentis edicto non interfuerat, ſed neceſſitate naturæ famelicus ad favum mellis fames inſtigaverat. 2. *Facti præcellentia*, quâ populum Iſraëliticum ab oppreſſione Philiſtæorum liberaverat. Fuit enim hoc *factum non commune* quoddam ſed *ſingulare*, quòd divinitus per peculiares Spiritûs Sancti motus admonitus inchoavit ac finivit, id quod probari poteſt. (1) *ex ſigni à Deo petitione*, precibus enim Dominum exoraverat, ut ſibi prius ſignum daretur, quàm in ſtationem hoſtium irruptionem faceret. (2) *ex Dei confiſione*, confiderat enim Deo, eum poſſe à multitudine gentium liberare; id quod innuit præclara vox, dum inquit: Non eſt difficile Domino vel in paucis dare ſalutem. (3) *ex eventus declaratione*, quâ ſine divino auxilio eidem impoſſibile fuerat ut ipſe Unico Comitatus armigero tantam ſtragem edere poſſet. Si igitur populus Iſraeliticus eum occidi permiſiſſet, maximè ingratitudinis notam ob permiſſionem incurriſſet. (3) *Mandati temerarij à Patre præcipitantia.* Dupliciter enim peccavit Saulus hoc mandato, ut inquit *Dominus D. Wellerus.* 1. *Contra Deum* dum hoc animo populum juramento aſtringit & Philiſtinos divinitus cæſos, ac ultrò fugientes ſine mandato Dei perſequitur, ut victoriæ Laudem Deo debitam ipſe ſibi arrogaret.

rogaret. 2. *Contra proximum:* quia hac ipsa obligatione juramenti fecit, ut populus fame periclitaretur ac ferè extinctus fuisset. Jam verò præceptum Juris, quod est contra mandatum Dei & charitatem proximi licet violetur, meritò tamen excusationem meretur. Hinc est quod Dn. *Andr. Osiander* Bibl. sacr. pag. 105. lit. e. ita disserat: Sors Jonathanem designavit, non quod ipse peccasset, inscius enim Patris iniquissimum mandatum transgressus erat. Sed dum filium periculo objicit, Deus Patrem obliquè accusat, quod stulto edicto pulcherrimam Victoriam turpissimè fædasset.

*Unde proveniant Maculæ Lunares?*

Antequam causam harum macularum indicemus notandum corpus Lunæ non esse exactè rotundum sed multis protuberantijs & montibus instar terræ esse refertum sicut ex Tubo id illuxit Opticо, imò testatur *Blancan.* part. 3. Sph. in append. c. 5. p. 160. montes nonnullos ad unius milliaris longitudinem accedere. Maculas igitur Lunares quod attinet, proveniunt illæ non [1] *ex corporis lunaris densitate & raritate* ita ut ejus partes aliæ sint densæ, aliæ raræ ac ubi materia rarior est maculæ appareant ut vult Aristoteles, causa est quia (a) corpus lunare totaliter est solidum ut indicat Perspicillum, quî ergò ex partibus raris maculæ oriri queunt? quia (b) in Ecclipsi nil lucis ex maculis istis transparere videtur uti in sequentib. probabitur, quod tamen aliàs stante ipsorum sententia necessariò sequeretur. Non [2.] *ex corporum terrestrium vicinitate*, quasi illa in Lunæ corpore velut speculo repræsententur: Ratio negationis hæc est quod visus noster non habeat omni in loco eandem rationem situs & distantiæ, maculæ autem istæ ubiq; deprehenduntur. Non [3.] *ex raptarum cum humore sordium terrestritate*, qui in alimentum Lunæ mutentur ut sentit *Plin. l. 2. nat. hist. c. 9.* Luna enim humore terreno non alitur, eò quod ille ultrà supremam aëtis regionem non evehatur. Non [4.] *ex aquarum, marisgraminum & animalium pluralitate*, quasi Luna eadem ratione ut Terra animalia, gramina &c. contineret; sic enim non solum Mundi introduceretur multitudo, sed & in Philosophiam & Theologiam hæresium inveheretur pravitudo, unde quasi ab orco revocarentur placita veterum Philosophorum animas Demortuorum in Luna suum occu-

pare domicilium opinantium. Sed [5.] *ex partium lunarium diversitate* quarum omnes quidem solidiores sed juxta inæqualem materiæ dispositionem existunt & maculosiores apparent id quod colligere licet ex diverso Stellarum colore quem realiter ex ipsarum complexione oriri necessum est. Sicut enim Deus in Creatione Mundi elementaris materiam impuram Terræ adjudicavit, ita etiam in creatione Mundi superioris fæces corporum cælestium in Lunam transportavit ut inde inæqualiter colorata sit. confer Petrum Crüger. in Calend.

*Quodnam illud est Lumen quod in Luna eclipsata apparet?*

Peripatetici dicunt lumen illud esse Lunæ vernaculum quamvis admodùm debile, in quâ sententia & ego antidhac eram probans eam in *Disp. Phil. de Stellis segm. 2. reg. 3.* Verum enim verò falsa est hæc opinio Lunam proprio lumine gaudere, uti supra satis est evictum. Est ergò illud lumen propriè lumen intrinsecum ejusdem corpori subjectivè inhærens, sed extrinsecum in vicino aëre circumfusum ob radios solares conum umbræ terrestris proximè ambientes, id quod exinde probatur, quia 1. Luna quò profundius ingreditur umbram, eò minus lumen ejusdem conspicitur. quia 2. radij Stellarum etiam aterrimâ nocte per crassiores nubes penetrant, ut illorum gratia quædam res adhuc cognosci & discerni queant, quantò magis ergò lumen suum corpori lunari per auram ætheream impertientur, cum illud ultrà 50000. milliaria supra nubes sit evectum.

*Cur Lunæ superficies tota etiam non illuminata post Novilunium conspici possit?*

Missis aliorum opinationibus *Galilæi & Mæstblini* accedo sententiæ, qui existimant eo tempore terræ medietatem illuminatam Lunam spectare, & radios à Terra ad Lunam reflecti. Rationes sunt. Nam 1. unica Nubes imaginem Solis exprimere potest ut patet in Parelio, multò magis ergò tota Terra cum Nubium regione circumfusa. 2. halitus circa Terram huic reflexioni plurimum conducunt. 3. radij solares vel in parietem saltem incidentes obscurissimam cellam reflexione quadam illustrare possunt quod itidem contingit in Speculo quod ex receptione radiorum solarium, Lumen

men Solis per reflexionem in locũ obſcuriſſimum transmittit eundem illuminando, multo magis ergò tota Terra lumen reflectere poterit. Et ne ullum hac in parte relinquatur dubium, brevibus ob oculos ſiſtam *Clariſſ. Dn. Kepleri* obſervationes, narrat hic in Opticis ſe Anno χειρογενίας 1601. montem Cacium Germanis der Scheckel in Styria ſitum (qui juxta Kepleri computationem reliquos montes in quibus Arx Wildenienſis erat, ſecundum Turris Argentinenſis altitudinem quinquies excedebat) adſcendiſſe, ubi tota Regio ſibi viſa fuerit inſtar amæniſſimi prati, pluribus fæni metis repleti; Cumq; ſplendidiſſimo Solis jubare Terra incredibilem ex ſplendore reflexionem altitudinaret, ipſe per nebulam quæ ſuperiori montis parte exiſtebat ſchedam integram verſus Regionem expandit, in qua juxta rerum varietatem ſingula loca quoad omnes partes in diverſo colore repræſentabantur. Quod ſi jam particula Terræ talem reſplendeſcentiam in charta exhibere quiverit, cur Terra dimidiata partium ſuarum conſtitutionem in Luna non effigiaret cum utrumq; corpus ἀντιφῶς lumen interſeinvicem communicet. Si enim poſſibile foret ait *Mæſthlinus* ut in Luna homines habitarent, illi eadem ratione illuminarentur à Terrâ (imò adhuc multò magis eò quod Terra Lunam quadragies magnitudine excedat) ut nos noctuatim à Luna ob æqualem montium, quos habet, cum Terra tuberoſitatem. Cæterà Lunam prænominato tempore Lumen Terræ communicatum recipere poſſe indè conſtat quia in Novilunio propè ☉ ſita eſt Luna è directo Terræ oppoſita, quò longius autem à Sole recedit eò minus reflexionis reſplendentis fit particeps.

*An diebus Caniculatibus Solis ardor promoveatur ortu Syrij?*

Validas admodùm radices egit non tantum in promiſcua hominum plebecula ſed & cultioris literaturæ Candidatos communis hæc opinio æſtum ſcilicet dierum canicularium (quarum initium & finis juxta Calendarium Vetus hoc dignoſcitur verſiculo: *Margaris Os Canis eſt, caudam Lauretius affert*) ortum ſubinde trahens à veteribus Ægyptiis qui annum ab ortu Syrij auſpicati fuerunt ac principium hebdomadis dierum canicularium nomine inſigniverunt. Quia autem eo tempore calor Solis fuit intenſiſſimus, nix in

monte

monte Lunæ liquefacta copiosè totam Regionem Ægyptiacam aquarum copiâ accedentibus Nili effluviis ultrà 60. dies innudavit (Oppida enim & Pagi in altis extructa sunt locis) ubi Incolæ accuratissimi harum dierum fuerunt indagatores quibus in ubertate anni hariolanda extiterint celebres. Inde factum ut alij ex inconsiderantia causam hujus æstus Syrio attribuerint ac vendicaverint, sic *Tibull* l. 1. Eleg. 4.

*Arentes cum findit Syrius agros:*
*Et canis æstivo torreat arva siti.*

Verum enim verò erronea hæc est opinio, id quod satis evincit 1. *nimia distantia*, distat enim Canicularis maximè à vertice nostro, cum sit Stella meridionalis non adeò procul à Tropico Capricorni consistens, ut hinc in tantâ radiorum obliquitate calefacere nil potis sit. 2. *exigua præsentia.* Ortus enim Syrij Cosmicus exiguo tempore suprà horizontem moratur, cujus moram alij non ultrà triduum durare demonstrant, quî ergò ab eodem æstus Solis per aliquot Septimanas promovebitur. 3. *denegata præreliquis Stellis præstantia.* Detur enim ratio cur Syrius majori polleat calefaciendi vi præ cæteris ejusdem cum eâ magnitudinis ac Naturæ? His alij addunt quod ita regio meridionalis quæ directè Cani subjecta longè calidior existeret quam borealis ejusdem elevationis: imò sequeretur omnes Zonas australes septentionalibus fore calidiores, quod tamen falsum. Verior igitur illius æstus causa sita est *in effluviorum per atomos igneas continuatione* ut sentit *Dn* Sperling quæ à Sole ê Terra extrahuntur, licet ergò in Junio Sol nobis existat verticalis, ejusq; radij efficatiores sint ac rectiores nihilominus tamen alteratio aêris successivè cum quâdam morâ protrahitur, ut hinc Terra calefactâ æstus maximè vigeat, non secus ut Fornax non statim intensissimum calorem lucidissimâ ignis flamma durante sed concremato lignorum apparatu eructat. *Similis est ratio in horis diurnis quarum pomeridianæ calidiores sunt antemeridianis.* Calor enim antemeridianus collectus pomeridiano quasi conglutinatur ut ita vehementiam caloris potissimum hora secunda exerat. Ex hoc fundamento facilè decidi potest & illa quæstio: *Cur frigus mensibus hybernis plurimum in Februario quam Decembri & initio Januarij intendatur, cum tamen hiscè temporibus Sol terræ sit vicinior quam illo?*

# ANTILOGIA I.

Disp. XVI. Respond. Theophilo Franck/ Fürstenwald Marchiaco.

## Syllogismus Topicus versatur circa contingentia seu probabilia: Et Syllogismus Topicus non versatur circa contingentia seu probabilia.

Dist. I. inter *Syllogismum Topicum*, qui considerari potest, vel *ex parte materiæ*: Sicq; rursus accipitur aut *purè materialiter* quâ ratione materia in se consideratur absq; modo arguendi &c. aut *formaliter*, quatenus à materia sub habitudine probabilis sumpta à fine, effectu &c: argumentatur: vel *ex parte formæ*, quoad consequentiam Syllogisticam, quando ex datis & dispositis præmissis conclusionē per necessitatē consequentiæ educit. Dist. II. inter *Probabilia*, quæ sunt vel *vera*, quibus intellectus per veram cognitionem assentitur, vel *apparentia*, quibus Sophistæ in lusu terminorum utuntur.

Concl. I. *Syllogismus Topicus, sivè ex parte materiæ purè materialiter, sive ex parte formæ, quoad consequentiam Syllogisticam spectatus, non versatur circa contingentia.*

Dico 1. *ex parte materiæ purè materialiter*. Quæcunq; materiæ verè non falsò ex ipsarum rerum fonte & scaturigine educuntur, illæ necessitatem obtinent. Atqui omnis materia Topica verè ex ipsarum rerum fonte & scaturigine educitur. Ergò. Major patet ex oppositione terminorum Necessitatis & contingentiæ, quorum uno posito alter removetur. Minor prob. quia nullus Syllogismus potest dici materialis, nisi sit è materiâ desumptus; Materia autem illa, quia in se necessitatem agnoscit, (falsitatem enim si habeat, vera non erit) utiq; circa res contingentes non tantum versatur.

Dico. 2. *ex parte formæ*, quoad consequentiam Syllogisticam. Quandocunq; enim reperitur verus Syllogismus, ex materiâ desumptus, ille ex dispositis præmissis infert conclusionem certissimam. Stantibus enim præmissis vera infertur conclusio. Notè autem hoc loco quod hìc intelligatur, non tàm necessitas consequentis, quàm quidem necessitas consequentiæ. *Necessitas consequentis* seu materiæ est, ubi conclusio non solum ex præmissis sequitur necessariò propter antecedentem legitimam terminorum dispositionem, sed & ipsa in se est Propositio necessaria ex necessariis præmissis educta, nempè talibus, quarum termini necessariam connexionem habent. *Necessitas consequentiæ* seu formæ est, cum conclusio vi formæ ita sequitur ex antecedente (etiam in materia falsa) ut admissô antecedente consequens negari non possit. Ex hisce obiter notari potest, quod quæcunq; DEUS prævidet, dicantur necessaria, non quidem necessitate consequentis sed necessitate consequentiæ. Quandocunq; igitur DEUS videt rem esse, necesse est eam esse, interim in naturâ suâ & respectu causarum aliter potera esse, & tunc DEUS aliter præsciviſſet. Non à scientia res, sed à rebus scientia dependet.

## Concl. 2. *Syllogismus Topicus ex parte materiæ formaliter, sub habitudine probabilis sumptus versatur circa contingentia.*

Prob. quia 1. in Syllogismo Topico immutabilis & solida rerum scientia non habetur, at ubi hæc non est, ibi neq; reperitur demonstratio. Cum verò argumenta Topica quandam agnoscat certitudinem à quâ exulat falsitas, sunt illa nihil aliud, quam probabilis opinio. Quicunq; ergo Syllogismus facit ad gignendam notitiam probabilem, is versatur circa contingentia. Atqui Syllogismus Topicus facit ad gignendam notitiam probabilem. Ergò. quia 2. quæcunq; ratiocinatio extruitur ex principiis probabilibus & locis dialecticis, illa versatur circa probabilia seu contingentia. Atqui ratiocinatio Topica extruitur ex principiis probabilibus & locis dialecticis. Ergò versatur circa contingentia. quia 3. omnis materia ex principiis incertis deducta facit contingentiam. Atqui materia

dialc-

dialectica educitur ex principiis incertis. Ergò. Min. prob. quia principia cognoscendi & probandi non sunt ubiq; necessaria. Sed ex iis *quædam sunt certa* quibus rectè cognitis mens assentiri cogitur: vel *ob rei evidentiam*, vel *ob demonstrationis potentiam*, vel *ob universalem experientiam*: *quædam sunt incerta*, quibus languidè assentimur. *quædam falsa*, quibus nullo modo fides habetur. Ex quibus priora gignunt demonstrationem; posteriora probabilem rationem; ultima Sophisticationem. Unde faciliter dijudicandi datur potestas, quænam sit *differentia inter Syllogismum demonstrativum & Topicum*. Differunt 1. *ratione principii*, in Demonstratione principia erant immediata, vera, prima &c. In Syllog. Top: sunt probabilia, problema dialectuum materialiter deducentia. 2. *ratione finis*, in Demonstratione est immota scientia seu cognitio, in Syllog. Top. duntaxat opinio. *Dari autem hunc Syllogismum Topicum* ita urgemus Ramæos: Dato veritatis eruendæ diverso modo; dandum est diversum instrumentum Logicum, quo eruatur: Logici enim interest omnes instrumentorum modos investigare, quibus veritas tanquam ex puteo eruatur. At datur diversus modus à Demonstratione, videlicet opinio, uti jam probatum est. Ergo dandum peculiare Logices instrumentum, quod est Syllogismus Topicus.

## ANTILOGIA. II.

## Locos Topicos Logica pertractare tenetur: Et Locos Topicos Logica pertractare non tenetur.

Dist: 1. inter *Locos Topicos* qui διτ̃ως considerari possunt, vel enim attenduntur *quoad potentiam terminorum naturalem* seu realem; vel perpenduntur quoad *potentiam terminorum obedientialem* & non repugnantem. Dist. II. intet *Locum topicum*, qui distribuitur, vel *in Maximas* quæ nihil aliud sunt quam principium cognoscendi & principium per se notum fidem aliis subministrans; vel *in Maximarum differentias*, quæ sunt receptaculum plurium maximarum, ad quod plures maximæ reducuntur. Boët. l. 2. de diff. Top.

Concl. 1. *Locos Topicos consideratos quoad potentiam*

*tentiam Terminorum naturalem Logica pertractare non tenetur.*

Prob. 1. *à terminorum materialiū explicatione.* Si enim hi termini in Logicis materialiter prout tales sunt in se, ratione definitionis & divisionis forent enodandi, sequeretur Logicam disciplinam esse realem. At Logica non est disciplina realis, sed instrumentalis, igigitur omnia sua noēmata etiam notionaliter pertractare debet. 2. *à notionum primarum cum secundis conferruminatione.* Etenim si terminos hosce Logica distinctè evolveret quoad potentiam naturalem; utiq; maxima notionum primarum cum secundis oriretur confusio. At verò quæ distinctam habent naturam distinctè debent considerari. Rerum enim diversarum in unam conversio, totius naturæ est perversio. 3. *à distortâ in modo considerandi operatione.* Nam qua sodes hi termini materialiter quà rem & fundamentum spectati, diversum tractandi modum in Logicis à Metaphysica obtinebunt? Erit itaq; *modus ille considerandi* aut *unicus*, aut *diversus* Non *unicus*, quia sic Disciplinæ distinctæ in unum redigerentur chaos. Si *diversus*, expendant illi qua ratione termini quoad potentiā naturalem considerati in Logicis tractari queant? *Est* autem *potentia terminorum naturalis* cum realia terminorum significata retinentur & ex iis natura & vis eorum explicatur. Sic causa dicitur, quæ influit in esse causati. Subjectū est, quod aliquid in se recipit, ita ut in communionem sui esse non trahatur. Et hæc potentia naturalis terminorum spectat ad Disciplinas reales. *Potentia Terminorum obedientialis est*, quando notionalis quædam habitudo in terminis consideratur, qua artificiali invento subjici & sic per artem aliquid ex iis educi potest. Et hæc in Logicis obtineri potest, uti jam dicetur.

## Concl. 2. *Locos Topicos ut sunt maximæ & maximarum differentiæ quoad potentiam terminorum obedientialem Logica pertractare tenetur.*

Hujus conclusionis evidentiam ut agnoscas, duo hîc observes velim. 1. *An Maximæ ad Syllogismum Topicum sint necessariæ?* Affirm. Quic-

Quicquid fidem aliis subministrat ac vim & virtutem probativam continet, illud ad Syllogismum Topicum maximopere est necessarium. Atqui Maximæ fidem subministrant ac vim virtutemq; probativam continent. Ergo sunt necessariæ. Ita v. g. hæc argumentatio: Bestia est animal irrationale. Homo non est animal irrationale, Ergò Homo non est bestia: omnem suam vim obtinet ex loco maximæ: cui convenit definitio, eidem convenit definitum: Et cui non convenit definitio, eidem non convenit definitum. II. *An Differentiæ maximarum sint pertractandæ in Logicis quoad potentiam obedientialem?* Aff. Indicat enim hoc ipsum 1. *terminorum qualitas.* Cum enim antea probatum sit terminos hoc fundamentaliter in Logicis non esse pertractandos, utiq; in Logicis ob insignè eorundem usum & potestatem quoad potentiam obedientialem erunt pervolvendi idq; propter immediatam oppositionem. 2. *Argumentationũ varietas*, ubicunq; infallibilis argumentandi ratio non semper obtinetur, ibi argumentatio saltem probabilis extrui debet. Atqui argumentatio Demonstrativa non semper obtinetur. Ergo. Unde infero: Quicquid modum probandi facilitat in Syllogistica structura, id in Logicis est pertractandum. At termini materiales quoad potentiam obedientialem modum probandi facilitant. Ergò. Min. prob. Quia Logicus considerat causam, effectum, totum, partem subjectum & adjunctum &c. ut per potentiam obedientialem aliquem notionalem modum elicere possit, v. g. à causis ad effecta, ab effectis ad causas &c. Hoc in istis terminis notionale est, & hoc considerare ad Logicum pertinet, uti inquit Dn. Hinr. Nicol. Gymn. Log. repet. diatr. 24. th. 18. 3. *subsumptionis paritas.* Si enim in Rhetorica termini isti per potentiam obedientialem in Metonymia & Synechdoche indagari possunt, utiq; nec Logicæ erunt detrahendi, si considerentur non prout in se habent potentiam naturalem, sed prout hoc intentionali respectu investiri queunt.

## ANTILOGIA III.

### Syllogismus Sophisticus est argumentatio vitiosa: Et Syllogismus Sophisticus non est argumentatio vitiosa.

Dist. I. inter *Syllogismum Sophisticum*, qui missis aliis significa-

tionibus, accipitur vel *generatim* pro quolibet Syllogismo sivè peccet in materiâ, sivè in formâ; vel *speciatim* pro Syllogismo falso, qui peccat in materia necessaria aut probabili. Dist. II inter *Syllogismum Sophisticum*, qui committitur vel *in forma tantùm*, qui ex positis præmissis videtur colligere & non colligit; vel *in materiâ tantùm*, qui ex illis quæ nõ sunt verè sed saltẽ φαινομενως vera colligit, aut colligere videtur. Dist. III. inter *Argumentationem vitiosam*, quæ talis dicitur aut *quoad consequentiam formalem*, aut quoad *consequentiam materialem*.

## Concl. I. *Syllogismus Sophisticus speciatim dictus in materiâ solũ peccans non est argumentatio vitiosa, quoad consequentiã formalem.*

Hoc ut probetur prius inquirendum venit. *Num Syllogismus Sophisticus sit considerationis Logicæ?* Affirmativam nos amplectimur sententiam contra Ramæos hac ratione: quicquid facit ad operationem intellectus rectificandam & ad veritatem in cognoscendo obtinendam, illud est considerationis Logicæ. Atqui Syllogismus Sophisticus facit tale quid. Ergo. Major prob. quicquid facit ad operationum intellectûs rectitudinem acquirendam, illud est medium ad hos fines ducens. Hi autem fines cum Logicæ proponantur, non potest non omnia illa media contemplari ad illos consequendos conducentia. Cujus enim Disciplinæ est agere de fine, illius est etiam agere de mediis ad finem obtinendum necessariis. Min. prob. quia Syllogismus Sophisticus traditur eum in finem, ut Syllogismum fallacem ex eo deprehendere & præcavere queamus. Si namq; naturam Syllogismi Sophistici probè habeas cognitam, non difficili negotio poteris falsitatem in Syllogismo aliquo oblato deprehendere. Hocce jam evicto protinùs conclusionẽ nostrã probandam dabo. Ubicunq; datur legitima ex præmissis illatio, ille Syllogismus est bonus quà consequentiam formalem. Patet quia *Consequentia formalis* nihil aliud est, quam legitima & aperta procedendi forma, quo modo differt ab *inconsequentia formali*, hæc enim est cùm termini in præmissis connexi aut habitudo eorum ex ipsâ re prę significata vocum importata illegitimè se habent. Atqui in Syllo-

gismo

gismo Sophistico in materiâ tantum considerato datur legitima ex præmissis illatio. Ergo. Minor patet, quia in materiâ falsâ dari potest necessitas consequentiæ ut admisso antecedente consequens negari non possit.

## Concl. 2. *Syllogismus Sophisticus generatim acceptus est argumentatio vitiosa quoad consequentiam tùm formalem, tum materialem.*

Quicquid caret consequentiâ cùm formali tùm materiali, illud est argumentatio vitiosa. Atqui Syllogismus Sophsticus generatim acceptus caret consequentiâ tùm formali, tùm materiali. Ergo. Min: prob *quoad prius membrũ*. Impingit namq; Syllogismus Sophisticus in regulas bonæ formæ Syllogisticas vel primæ vel secundæ vel tertiæ figuræ. At quicunq; Syllogismus violat leges bonæ formæ Syllog: ille est vitiosus. 2. *quoad membrum posterius*. Quicunq; Syllogismus habet præmissam vel utramq; vel alterutram falsam, attamen apparentiam veritatis præ se fert, ille est vitiosus quà consequentiam materialem. Atqui Syllogismus Sophisticus in materiâ habet præpræmissarum vel utramq; vel alterutrã falsã. Ergo. Est. autẽ *Syllogismus peccans in materia* duplex, vel enim peccat in *materia necessaria*, & dicitur Syllogismus Apatheticus, Pseudographus, Paralogismus, græcis Ψευδογεάφημα est, qui ex iis quæ videntur necessariò vera nec tamen sunt colligit aut colligere videtur; vel peccat *in materiâ contingenti*, qui ex iis progreditur, quæ probabilia videntur, nec tamen sunt, aut qui ex probabilibus aut quæ probabilia videntur constare conclusione necessaria videtur, nec tamen est. Arist. l. 2. Top. c. 1 & 6 Top. c. 4. *Est q; rest ectu diversi finù* [in materia enim probabili est tantum unus idemq; Syllogismus] ad quem à Sophista refertur, quadruplex [1.] πειρασικὸς seu *Tentativus* qui ad tentandum atq; examinandum aliquem aptus esse dicitur, Ar. l. 1 Elench. Soph c. 1 [2.] Ἐριστικὸς seu *Litigiosus*, est Syllogismus peccans in materia probabili pro fine victoriam habens. [3.] Ἀγωνιστικὸς seu *Contentiosus*, est Syllogismus peccans in materia probabili contentionem vocis litem & certamen intendens. [4.] Σοφιστικὸς. seu *Elenchticus* specialissimè sic dictus, est Syllogismus peccans in materiâ

certâ probabili pro fine habens Ostentationem sapientiæ vel eam gloriam, quæ in divitiis est. De quibus videat. Cl. B. M. Weger. in quæst. Log. super Organ. Arist. p. 766. 767. & seq.

## ANTILOGIA IV.

### Omnis Methodus est vel Synthetica vel Analytica: Et non omnis Methodus est vel Synthetica vel Analytica.

Dist. I. inter *Methodum* quæ est vel *Necessaria* seu naturalis, quæ præscribit ordinem juxta ductum naturæ: vel *Arbitraria*, quæ fit solum ex arbitrio ordinantis. Dist. II. inter *Methodum*, quæ considerari potest, vel *concretè* & materialiter, & denotat nihil aliud quam disciplinam methodicè dispositam; vel *abstractè* & formaliter, ut est instrumentum tractandi aliquid & medium disponendi, quâ ratione definitur, quod sit instrumentum Logicum apposite unum post aliud disponere docens ad faciliorem & distinctiorem rei cognitionem.

### Concl. 1. *Omnis Methodus naturalis abstractè & formaliter considerata, est vel Synthetica vel Analytica.*

Confirmat hoc ipsum [1.] *generalis procedendi ratio.* Semper enim procedimus à notioribus & universalioribus ad ignota & difficiliora. At verò notiora taliter sunt comparata, ut vel à simplicibus principiis ad composita progrediamur, vel à fine ad ea quæ ducunt ad finē tractationē ordiamur, ibi investigamus methodū Syntheticam, hîc indagamus methodum analyticam. [2.] *sufficiens partium enumeratio.* Etenim *Methodus* aut erit *una* aut *multiplex.* Non *una*, quia Disciplinæ uno se prorsus modo disponi non patiuntur. Si *multiplex* erit illa aut *Bipartita*, aut *Tripartita*, de pluribus membris inter modernos disceptatio non instituitur. Non *Tripartita*, quia methodus definitiva (quam tertiam his nonnulli super addunt) peculiarem speciem non constituit, quia definitiones & divisiones utriusq; methodi, tùm syntheticæ tùm analyticæ communia sunt instrumenta. *Alsted.* Log. harm. c. 4. & 5. methodum defini-

definitivam qui negant, stupidos appellitat, verum præter rationem, cum enim disciplina nihil aliud sit, quam congeries præceptorum, præcepta autem ipsæ sint definitiones, quia verò definitiones in omni disciplina ordinanda sunt necessaria, utiq; methodus definitiva peculiarem speciem non constituit, sed bipartitæ methodo subordinatur. (3.) *Completa Disciplinarum juxta utramq; methodum tractatio*, methodus namq; Synthetica disciplinis speculativis, analytica practicis est propria. Duo igitur hîc quæsita probanda veniunt, quorum I. *An Methodus Synthetica conveniat Disciplinis Theoreticis*? A. quia 1. Scientiæ cum exactam perfectamq; pariant cognitionem à primis usq; principiis repetuntur, neglectis enim principiis, reliquorum etiam principiatorum nulla erit cognitio quia 2. ubi Demonstratio, ibi methodus Synthetica. Atqui Demonstrationes tantum pertinent ad scientias. E. Tria enim in unaquaq; Demonstratione reperiuntur Subjectum, Principia & Affectiones. Hæc autem omnia solis Disciplinis contemplativis competunt. II. *An Methodus Analytica conveniat Disciplinis Practicis.* A. quia artes & practicæ disciplinæ certum suum finem, quem in actu quo ncunt, primo loco considerant, ut hujus notione commotus media inveniri & aptari possint.

## Concl: 2. *Non omnis methodus si spectes ordinem arbitrarium concrete & materialiter consideratū, est vel Synthetica vel analytica.*

Patet, quia methodus arbitraria pendet ab arbitrio & placito disponentis, inde quia hîc videt dari ab uno ad aliud processum, & tamen omnia simul pertractari non posse, iccirco pro animi lubentia quævis disponit & ordinat, proindeq; occupata in disciplina theoretica concretè spectata, unam non duplicem observat methodum, adeoq; sic methodus in Syntheticam & analyticam non distribuitur, quia hæc distributio est methodi abstractivè consideratæ. At omnis disciplina concretè & materialiter considerata, quoad methodum est uniformis. Hinc est, quod methodus hoc modo in Logicis nequeat exhiberi & pertractari, pertinet enim ad omnes disciplinas ratione usus communis. Nam omnes distinctè & ordinatè suas materias explicare tenentur, & sic cum illis ordi-

nem simul concretum materialiter exhibere, hoc ergò sensu tolerari potest sententia *Fabri* qu. 6. & 9. Log. procem. qui methodum ad omnes disciplinas spectare ait, quæ de eo monere debeant, prout usus earum postulaverit. Antequam hîc abeamus, quærimus, *An Methodus sit habitus instrumentalis?* N. quia pars non debet adæquari cum suo toto. At Logica totaliter accepta est habitus instrumentalis, methodus autem pars seu medium Logicum, igitur per habitum instrumentalem definiri non poterit. Sunt quidem noemata notionalia cum habitu in eodem Subjecto, ut inquit. Hinr. Nicol. videl: animo, non tamen ipse habitus, sed instrumenta ab habitu proposita, & in eo repræsentata.

## ANTILOGIA V.

### Ordo Naturæ in Disciplinis est observandus: Et ordo naturæ in Disciplinis non est observandus.

Dist. I. Inter *Methodum*, quæ est vel *universalis*, quæ nihil aliud est, quàm dispositio integræ alicujus disciplinæ; vel *particularis*, est quæ non in integris disciplinis, sed particularibus theorematibus spectatur. Dist. II. inter *cognitionem confusam & distinctam*. *Illa* est imperfecta & incompleta Scientia, quâ res indistinctè, & cum quadam confusione multorum imperfectè cognitorum cognoscuntur. *Hæc* est perfecta & completa scientia, quâ res determinatè secundum omnes suas essentiales partes cognoscuntur. Dist. III. inter *ordinem naturæ*, qui considerari potest vel *formaliter* ut res sunt; vel *objectivè* ut à nobis cognosci possunt.

### Concl. 1 *Ordo naturæ formaliter spectatus, quoad methodum universalem in Disciplinis non est observandus, si distinctam attendas cognitionem.*

Patet, idq; 1 *Ob Methodi unitatem*, si enim ordo in methodo universali quoad cognitionem distinctam à natura esset petendus, sequeretur unam dari methodum eamq; solum Syntheticam: in hac enim simpliciter progredimur à simplicibus ad composita. At

simplicia

simplicia suâ naturâ sunt priora compositis & effectis. Semper igitur in omnibus disciplinis progrediendum foret à simplicibus ad composita. At consequens est falsum uti id innotuit ex Antilogia quarta hujus disput. Igitur ordo naturæ formaliter spectatus semper observari non potest. 2. *ob modi tractandi incommoditatem*, sienim methodus semper esset desumenda ab ordine naturæ, fieret hoc vel ab *ordine naturæ generantis*, vel ab *ordine naturæ intendentis* & perficientis. Non *ab ordine naturæ generantis*, quia sic semper à principiis ad principiata foret progrediundum. At verò præter hunc ordinem datur etiam ordo resolutivus, quo à principiatis ad principia, à fine ad media finem inducentia progreditur, ut in disciplinis practicis. Si verò esset desumendus *ab ordine naturæ perficientis*, Ergo vel *perinde erit*, sivè hanc sivè priorem ordinem serves, *vel non erit*. Si erit utiq; in Disciplinis practicis perinde erit sivè assumâ methodum Syntheticam, sivè analyticam. At hoc non, quia sic maxima disciplinarum introduceretur confusio. Si *non erit perinde*. Ergo oportet aliundè determinatio desumatur, ut sciatur, quem ordinem præcisè Disciplinæ alicui applicare fas sit. Hæc determinatio non scietur ab ipsâ naturâ, nam illa indifferenter in rebus servat utrumq;. E. à nostrâ meliori & distinctiori cognitione. Nam aliud hîc nominari non potest. 3. *Ob acquiescentem mentis terminabilitatem*. Si enim ordo naturæ semper esset observandus, sequeretur mentem nostram in eodem acquiescere: at hoc non, quærenti enim cur ordinem naturæ servemus, fieri id dicimus propter meliorem nostram cognitionem vid. Dn. Jacob. Mart. cent. 6. quæst. Phil. disp 2. q. 1. Hinr. Nicol. Gym. Log. rep. diatr. 16. th. 12. 13. 14. seq.

## Concl: 2. *Ordo naturæ objectivè spectatus quoad methodum & universalem & particularem in Disciplinis est observandus.*

Prob. quia, 1 ordo naturæ objectivè spectatus concernit res prout à nobis cognosci possunt, atq; sic ordo naturæ cum ordine facilioris cognitionis sæpissime coincidit. Igitur in distincta & accuratâ nostra cognitione servari poterit ordo naturæ rerum: si videl: natura nota sint nobis nota: sin ignota nobis, à notioribus

erit procedendum, vid: *Gocl. Probl.* 30. & 31. quia 2. quicunq; instrumento utitur, aut eô utitur *propter melius*, id est, propter facilitatem aut *ex necessitate*. At instrumenta Logica sunt propter melius non absolutè necessaria. *Fons. 2. Met. c. 3. q. 4.* Nec est, quod objiciat *Piccolom. introd. mor. c. 29.* Quemadmodum ars imitatur naturam, sic etiam ordo eandem æmulari debet. At prius est verum, ex Ar. l. 2. Phys. c. 1. E. & posterius. Respondet ad hoc accuratè *Dn. D. Jac. Mart.* cit. l *Artem* duplicem habere respectum *Subjecti & objecti.* Debet igitur imitari naturam & subjecti nempè ejus, quod artem in se habet & ab arte informatur: & objecti; *Objecti naturam* in eo, ut noemata illius rectè abstrahat, intellectui repræsentet, ut inde veritas eveniat. *Subjecti naturam*, ut semper progrediatur à noto ad ignotum, quod est primum principium cognoscendi non essendi. Deinde cum *res sit in intellectu non subjectivè sed objectivè*, alio modo res est quatenus in intellectu est, & alio modo quatenus extrà intellectum in suâ natura subsistit. Modus autem intellectus nostri versandi circa res est, ut ab iis, quæ natura notiora sunt nobis, progrediamur. Contra modum igitur illum naturalem intelligendi nihil introducat Ars, sed potius illum informet. Ars siquidem non destruere, sed adjuvare & imitari naturam debet.

## SUPERPONDIUM.

### *An certo, & quonam Anni tempore Mundus sit conditus?*

Quadruplex hic potissimùm occurrit Sententia, quam in unum rationis gyrum revocabimus negativè ad quæstionis affirmationem progressuri, ita ratiocinantes: Mundus aut *certo Anni tempore est conditus*; aut *certo Anni tempore non est conditus* ut vult Kekerm. System. Theol. l. 1. c. 6. & Syst. Phys. l. 7. *Non Posterius*, quia Creatio Mundi ratione temporis, non restringitur ad certum diem, sed ad certam Anni partem, dies quatuor priores immediatè succedentem. Sin autem simpliciter affirmaretur, nullum planè tempus ante diem creationis quartum extitisse, utiq; & sic negandum foret. Probè enim notanda erit distinctio Temporis in absolutum & respectivum à judiciosissimo Dn. *D. Affelmanno* subministrata.

miniſtrata. *Tempus Mathematicum* ſeu *reſpectivum* eſt quod peragitur ſecundum motum ſtellarum menſuratum. *Tempus Phyſicum* ſeu *abſolutum* eſt Entis creati duratio finita, *illud* fuit, *hoc* nequaquam, quia menſuratur à motu Solis & Lunæ, quæ die demùm quarto extiterunt. Quæſitum ergò noſtrum intelligendum venit, non quale tempus præceſſerit, (hoc enim certo reſpectu Kekermanno largimur) ſed quale ἀμέσως ſubſecutum fuerit, ac perinde erit ſi quæratur: *An quartus Creationis dies & tempus immediatè ſubſequens à Deo creata fuerint in autumno, an Vere, an æſtate, an hyeme? Si Prius*, Mundus erit conditus *tempore* aut *æſtivali*, aut *Vernali*, aut *autumnali*, de hyemali res controverſa non eſt, quia arborum teræq; decor hyemi non convenit. Non 1. *Tempore æſtivali*, in qua ſententia eſt *Gerhard. Mercator* in init. ſuæ Chronol. Ob putridas autem quas vendit merces, vix eſt qui easdem mercari ratus fuerit, ſiquidem ejus rei indiciũ neq; ex Scriptura neq; ex Natura haurire licet. Argumentum quod venditat exile eſt ac vile. Nam ex ramo viridantis olivæ quem Columba à Noacho emiſſa, menſe undecimo ad eum attulerit, nil concluditur, eò quod Oliva toto propè anno frondoſis appareat foliis. Plin. l. 16. c. 20. Non 2. *Tempore Vernali*, quam ſententiam plurimi ac ex iisdem doctiſsimi tuentur viri, iiq; partim *Theologi* ſive *ex Patribus* ut *Athanaſ.* in reſp. ad 17. quæſt. Antiochi. *Nazianzen*: Orat. in nov. Dominic. *Cyrill.* Catech. 14. *Damaſc.* l. 2. de fid. orthod. c. 71. *Ambroſ.* l. 1. Hexam. c. 4. *Auguſt.* in quæſt. V. & N. T. q. 106. *Theodor.* q. 72. in Exod. cit. Barthol. Enchr. Phyſ. p. 71. Sivè *ex recentioribus*, ut *Gregor. de Valent. Alſted.* in Theol. didact. Schol. ſ. 3. c. 2. reg. 14. &c. partim *Philoſophi* & Aſtrologi, ut *Cornel. de Lapide, Codoman. Kepler.* item Chaldæi & Perſæ qui ſignum Arietis ob id initium cæterorum conſtituerunt. Verùm uti huic ſententiæ aliqualem probabilitatem concedo, ita eidem evidentem demonſtrationem detrano. Obſtat enim 1. *Scripturæ autoritas*, quæ Natalitium Mundi in Menſe Abib vel Niſan factum, nullibi approbat nec ulla ex ſe ratione educi permittat. Etenim quod obtenditur Exod. 12. v. 2. expreſsè Menſem Abib vel Niſan primum nominari, infirmè concluditur. Cur enim Deus ſpecialiter Populo Iſraëlitico mandaſſet, ut Menſis Abib apud eun-

dem primus esset, si primus fuisset apud Ægyptios? Ad quid autem speciale Dei mandatum si in novam ordinationem non sit mutatum? 2. *Rationum infirmitas.* Nullum enim rationis proferri quit indicium quo certitudo hujus sententiæ obtineatur. Tria tamen sunt, quæ heîc objici solent, desumpta (1.) *à Veris amœnitate*, ubi omnes res redintegrantur & restaurantur. At frustrà. Nam nullum non anni tempus propemodùm esse potuit rerum creationi accommodum, quippè quæ miraculosa fuit, cum flores & fructus tunc extiterint non per modum generationis sed per modum Creationis. At Creatio tendit ad esse perfectum, creavit enim Deus res omnes in suo genere perfectas כִּי הוּא אָמַר וַיֶּהִי הוּא צִוָּה וַיַּעֲמֹד Psal. 33. v. 9. Jam verò res, ubi ad maturitatem non pervenerunt in suo genere perfectissimæ non existunt. (2.) *à progerminationis commoditate*, dicitur enim germinet terra herba virentem & lignum pomiferum faciens fructum Gen. 1. v. 11. id autem verno tempori maximè convenit. Verùm enim vero Terra eò tempore non tantùm progerminavit sed & maturos cujusvis generis protulit fructus, Gen. 2. v. 16. quod est Autumni. Deinde vis & facultas reb9 creatis attributa fuit quoad crescendi potentiam ut se secundum speciẽ multiplicare possent, non quà existendi accrescentiam. Sic enim in Vere res creatæ fuissent Entia potentiâ, in Autumno Entia actu. At actus perfectione nobilior est potentiâ, quia omnis potentia refertur ad actum ut ab ipso perficiatur & terminetur *Flac.* l. 2. Log. Gen. c. 21. Quicquid autem terminatur id à perfectiori terminatur, quia terminatio est perfectio. Quo enim res perfectiorem terminum accipit, eò etiam res ipsa præstantior ac perfectior existit. (3.) à *Comparationis qualitate* ut sunt conceptio Christi in utero virginis, item Christi Passio, quæ cum contigerint tempore Veris, credibile est etiam creationem tùm fuisse factam. Atat, nulla hic est consequentia, Nam, non valet exemplum, litem quod lite resolvit. Si autem id colligendum foret, quod videtur credibile, errabitur sæpiculè. Annon credibile satis, Diem inchoare ab ortu Solis, nihilominus tamen Deus in Sacra Scriptura principium Diei à Solis occasu exorditur; Quemadmodum ergo æstas est quasi anni dies, hyems autem quasi anni nox, ita & Autumnus & non Ver erit principium Anni.

Anni. Itaq; hoc modo simile simili opponitur. Insuper eâdem quoq; consequentiâ colligi liceret Mundum in Autumno esse conditum, quia hoc tempore multa mirabilia facta sunt, ut (a) *Diluvium* juxta annum Noachi sexcentesimum, Mense Marsanone sive Marchesuan (qui respondet nostro Octobri) ut testatur Joseph. l. 1. Judaic. antiq. (b) *Baptismus Christi*, quem Euseb. in Hist. Eccl. & Epiph l. 2. Hær. 51. in Autumno contigisse dictitant. Quia autem hæc similia sunt, exinde nil certi concluditur, quia similia non probant, sed rem probatam illustrant. Adde quod ita etiam colligi non ineptum foret ex oppositione, per tempora opposita. Sed transeant hæc. E. 3. *Tempore Autumali*, in qua sententia amplectenda repperiuntur partim *Rabbini*, ut *Abrah Esræ filius* in notis ad 7 c. Dan. *Jonathan Chaldæus* in Schol. ad c. 8. l. 1. Reg. *Eleasar* in Genes. 1. partim accuratissimi Chronologi, ut *Calvisius* Chronol. item *Celeber. Dn D. Johan. Behm* primarius in Acad. Reg. Profess. Chron. l. 1. t. 1. &c. Partim Philosophi & Mathematici industrii *ut* Crügerus, Strausius, Barthol. partim Theologi cum veteres tum recentiores, ut *Joseph. Lyran. Tostatus, Forsterus, Affellman* &c. &c. Hæc Sententia quia omnium probabilissima eandem & nos amplectimur, ac eam probamus, idq; (1.) *Ob Scripturæ assertionem*. Etenim Mensis Thisri, qui nostro Septembri respondet usq; ad liberationem Israëlitarum ex Ægypto, mensis primus seu anni initium fuit, quod posteà novâ lege translatum est in Mensem Nisan, Ex. 12. v 2. Novæ enim legis præscriptio novæ rei vel ejusdem immutandæ est introductio. Quia igitur heîc Mensis ratione anni est immutatus in Populo Israelitico, partim *ratione liberationis*, quod hoc anni tempore ab ægyptiaca servitute sit liberatus; partim *ratione religionis*, ut non minus in anni auspicio quam fidei professione variaret ab Ægyptiis, partim *ratione recordationis*, ut novâ anni ordinatione novæ rei magnitudo & beneficii recordatio sibi ob oculos poneretur; fit ut prior annalis mensium observatio à Mundi origine sit ad posteros transmissa, ut hinc legitimâ consequentiâ Natalis Mundi concludatur. Ratio est, quia ante hanc mensium immutationem nulla alia ordinatio mutatione introducta legitur. Unde ita ratiocinor: Quo anni tempore & mense antiquissimi

quisimi Hebræorum ante Mosen annum incoare consueverunt, eodem etiam tempus cum Mundo & mundus cum tempore scitè & ritè judicatur? Ratio consequentiæ patet: Principium enim cujusq; rei Naturæ instinctu inde ducitur, unde incipit. Et si secùs, quo quæso jure dicerentur anni à condito Mundo numerari? & annon remaneret aliquid, quo minus numeratio integrè sibi constaret? Minor ex dictis constat, majoris autem firmitudinis gratia confer loca: Exod. 23. Exod. 34. Lev: 23. quæ singula exquisitè deducta vide apud *Dn. Forster.* in Thesaur. Catech. ex Symb. Apost. decad. 2. Probl. 1. (2.) *Ob Anni Judaici distributionem.* Duplex enim apud Judæos fuit *Annus*, alter *Politicus*, *Ecclesiasticus* alter. Hic spiritualibus rebus accommodatus exordium in Vere juxta Dei præceptum cœpit; Iste civilibus rebus accommodus initium in Autumno veluti tempore Patriarcharum duxit, id quod patet (1.) *ex Josephi interpretatione*, cujus in spiritualibus historiis autoritas omnibus præponitur, is namq; fatetur l. 1. c. 9. quod Ægyptij ab Abrahamo Patriarcha edocti, mensem Marchesuan (qui apud Macedones Dius dicebatur) in Autumnum incidentem, ordine primum enumeraverint. (2.) *ex Anni Sabbathici introductione*, in quo Festum Propitiationis celebratum fuit partem Anni autumnalem agnoscens. (3.) *ex Judaica Bibliorum lectione*, quæ annuatim in Autumno fuit incepta juxta antiquam Primorum consuetudinem. [3.] *Ob Paraphrastis Chaldæi testificationem*, qui apud omnes in maximo habetur æstimio in l. 1. Reg. c. 8. v. 2. Ita commentatur: *In Mense Ethanim qui ante exitum ex Ægypto primus dicebatur, jam septimus est.* At Ethanim fuit Mensis Thisri, in Autumnum incidens. Igitur quod Mundus in autumno conditus fuerit plenè colligimus.

Gloria, laus & honor
Sit
SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATI
in
Secula Seculorum, Amen.

FINIS.

# Admonendus hic es Benevole Lector ne in linearum inquisitione erres, easdem instituendas esse vel à principio Concl. inclusivè numerando vel à principio Auctariorum vel Corollariorum &c. vocibus illis omissis sicq; à primo quæstionis exordio usq; ad finem numerum auspicando

*Sunt autem quæstiones hæ partim biblicæ partim Philosophicæ & hæ tum mixtæ tum puræ eaq; vel Logicæ Metaph. Pneum. &c.*

## QUÆSTIONES BIBLICÆ.

| | Disp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An somnus futurus fuisset in statu integritatis | 3 | | | 1 | |
| An somnus Adami in statu integritatis fuerit Ecstaticus | 3 | | | 1 | 15 |
| An Patriarchæ signis cælestibus nomina indiderint? | 7 | | | 2 | 9 |
| An nomina gentilitia stellis indita à Patribus fuerint profecta | 7 | | | 2 | 17 |
| An voces hebraicæ stellis impositæ gentilitia designent nomina Job. 9. v. 9. | 7 | | | 2 | 26 |
| Quomodo Deus in Scripturis dicatur magnus? | 8 | 4 | 2 | | |
| An Iris fuerit ante diluvium Gen. 9. | 9 | | | 1 | 116 |
| An stellæ ante diem novissimum è cælo sint casuræ ex Matth. 24. | 9 | | | 2 | 35 |
| An Ebrietas Noachi inter peccata numeranda? Gen. 9. | 10 | | | 2 | |
| Num Israëlitæ petentes Regem à Deo peccaverint 1. Sam. 8. | 13 | | | 4 | |
| Num nullum tempus fuerit ante diem creationis quartum | 16 | | | 1 | 11 |
| An Astrologicæ prædictiones ex Gen. 1. probari & tollerari queant? | 14 | | | 1 | |
| An Serotina rubedo ex Math 16. bonæ tempestatis sit indicium? | 14 | | | 1 | 96 |

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An Eſavus ob hirſutiem Gen. 25. Monſtrum dici queat? | 14 | | | 2 | |
| An Pythoniſſa 1. Sam. 28. verum Samuelem in conſpectum Saulis produxerit? | 14 | | | 3 | |
| An Paulus quando raptus fuit in tertium Cælum fuerit in Ecſtaſi. | 14 | | | 4 | |
| An Cælum in quod Paulus fuit translatus ſit cælum Empyreum? | 14 | | | 4 | 78 |
| Num Chriſtus corpore ſuo januam clauſam penetrare potuerit? | 14 | | | 4 | 94 |
| Quot ſint ſpecies revelationis divinæ! | 14 | | | 4 | 98 |
| An ex Gen 37. certò affirmari queat qualenam fuerit ſomnium Joſephi. | 15 | | | 1 | |
| Unde cognoſci queant ſomnia divina & Diabolica? | 15 | | | 1 | 40 |
| An Somnia illa Pincernæ & Piſtoris Gen. 40. fuerint naturalia, num Diabolica an v. divina? | 15 | | | 2 | |
| An Jonathan Filius Saulis mandatum Patris transgrediendo 1. Sam. 14. excuſari queat? | 15 | | | 3 | |

## QUÆSTIONES PHILOSOPHICÆ.
### MIXTÆ.

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| *An Deus prædicabilis alicujus notioni ſubſtare queat?* | 7 | 2 | | | |
| *An Deus Patrem Fil. Sp. S. συνονύμως reſpiciat.* | 7 | 2 | 1 | | 11 |
| *An homo in art. de perſona Chriſti ad Deum ſe παρωνύμως habeat* | 7 | 2 | 1 | | 40 |
| *An Eſſentiæ Divinæ dici poſſit prædicabile* | 6 | 3 | 2 | | 8 |
| | 7 | 2 | 2 | | 7 |
| *An Deus ſit Genus* | 7 | 2 | 2 | | 16 |
| *An Deus ſit Species* | 7 | 2 | 2 | | 37 |
| *An in Deum cadat compoſitio ex Genere & Differentia.* | 7 | 2 | 2 | | 46 |
| *An Perſonæ Trinitatis differant ſpecie* | 7 | 2 | 2 | | 80 |
| *An propria div. naturæ verè communicentur Humanæ Naturæ* | | | | | |

An

| | Diſp. | Art. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An corpus Chriſti poſsit eſſe in S. Cœnæ. | 7 | 4 | 2 | | 47 |
| An peccatum originale ſit accidens prædicamentale | 7 | 5 | 1 | | 18 |
| An peccatum originale dici queat Accidens prædicabile. | 7 | 5 | 2 | | 20 |
| An Deus ſit in prædicamento. | 8 | 2 | | | |
| An res Theologicæ â Logica expendi queant? | 8 | 2 | 1 | | 9 |
| An bona conſeq. in ipſis fidei myſteriis locum habeat? | 8 | 2 | 1 | | 48 |
| An Deus directè an verò reductivè ſit in prædicamento. | 8 | 2 | 2 | | |
| An Deus ſit in prædicamento Subſtantiæ | 8 | 2 | 2 | | 22 |
| An Deus ſit in prædicamento accidentis | 8 | 2 | 2 | | 30 |
| An in Deum cadat Accidens. | 8 | 3 | | | |
| An compoſitio in Deum cadat. | 8 | 3 | 2 | | 21 |
| An compoſitio ex Subſt. & Accid. Deo repugnet. | 8 | 3 | 2 | | 34 |
| An quantitas Deo aſsignari valeat? | 8 | 4 | | | |
| An numerus Deo competat. | 8 | 4 | 3 | | |
| An in Deo detur unitas Arithmetica? | 8 | 4 | 3 | | 16 |
| An in prædicat. perſonal. Diſparatum prædicetur de Diſparato? | 9 | 2 | 1 | | 28 |
| An unum corpus ſimul & ſemel poſsit eſſe in pluribus locis. | 9 | 5 | 2 | | 7 |
| Quibusnam mediis in cognitionem Dei provehamur | 10 | 3 | 2 | | 13 |
| An attributa divina ſint idem cum DEO? | 10 | 4 | 1 | | 17 |
| Quomodo diſtinguantur â Deo? | 10 | 4 | 1 | | 22 |
| An fides in artic. Juſtif. excludat concomitantia. | 12 | 4 | 2 | | 8 |
| Quo anni tempore Mundus ſit conditus. | 16 | | | 1 | |
| An res præviſæ â Deo ſint neceſſariæ. | 16 | 1 | 1 | | 27 |
| Cur Deus impiis hominibus etiam ſomnia immittat? | 15 | | | 2 | 42 |

# QUÆSTIONES PURÆ Philosophicæ sunt

## I. LOGICÆ

| | Disp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An præcognita Disciplinis præmittere necessarium sit? | 1 | 1 | | | |
| An definitio & Divisio Logicæ præponenda. | 1 | 2 | | | |
| An Logica derivetur ἀπὸ τοῦ λογίζεσθαι. | 1 | 3 | | | |
| λόγος quotupliciter dicatur. | 1 | 3 | 2 | | 13 |
| An Logica orationem externam includat | 1 | 4 | | | |
| An Logica naturalis detur | 1 | 5 | | | |
| An Habitus & Dispositio specie differant. | 1 | 5 | 1 | | 10 |
| An Dialectica sit Synonymum Logicæ? | 2 | 1 | | | |
| An Organon sit synonymon Logices | 2 | 2 | | | |
| Cur Logica dicatur ὄργανον ὀργάνων. | 2 | 2 | 2 | | 8 |
| An Logica rectè appelletur χεὶρ τῆς Φιλοσοφίας | 2 | 3 | | | |
| An Logica sit Ars? | 2 | 4 | | | |
| An Logica sit habitus practicus. | 2 | 5 | | | |
| An Logicæ Genus desumi queat ex 5. habit. intellectualibus | 2 | 5 | 1 | | 19 |
| An habitus pract. activus ultra moralem extendendus. | 2 | 5 | 3 | | 10 |
| An Logica sit pars Philosophiæ | 3 | 1 | | | |
| Quid sit Philosophia | 3 | 1 | 2 | | 15 |
| An Syllogismus sit finis Logicæ adæquatus | 3 | 2 | | | |
| An prima & secunda mentis operatio absq; tertia consistere possit | 3 | 2 | 2 | | 4 |
| Termini simplices quomodo ingrediantur Syllogismum. | 3 | 2 | 2 | | 19 |
| An Methodus referri queat ad Syllogismum | 3 | 2 | 2 | | 25 |
| An Veritas sit finis Logicæ externus. | 3 | 3 | | | |
| An Ratiocinari absolvat finem Logices | 3 | 4 | | | |
| An Operationes intellectus sint objectum Logicæ | 3 | 5 | | | |
| An omnes operationes mentis sint subjectum Logices? | 3 | 5 | 2 | | 6 |

Quod

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| Quodnam ſit formale objecti Logici quo à reliquis diſcipl. ſpecie diſcriminetur. | 3 | 5 | 2 | | 38 |
| An operationes intellectus ſint ſubj. Log. immediatum | 3 | 5 | 2 | | 41 |
| An Ens ſit objectum Logicæ. | 4 | 1 | | | |
| An Voces pertineant ad ſubjectum Logices | 4 | 2 | | | |
| An diviſio Log. in partem communem & propriam ſit bona. | 4 | 3 | | | |
| An inventio & judicium ſint partes Logicæ | 4 | 4 | | | |
| An Logica recte dividatur in tres mentis operationes | 4 | 5 | | | |
| An termini ſimplices in Logica præmittendi. | 5 | 1 | | | |
| An omnium diſciplinarum termini in Logica tradendi | 5 | 1 | 2 | | 7 |
| An omnes promiſcuè termini Logici in Logica præmittendi. | 5 | 1 | 2 | | 17 |
| An omnis terminus ſit ſignificativus. | 5 | 2 | | | |
| An una litera rationem termini ſuſtinere queat. | 5 | 2 | 1 | | 9 |
| An voces ſignificent conceptum? | 5 | 2 | 1 | | 40 |
| An nomina penitus ſint fortuita an conſilio | 5 | 2 | 2 | | 36 |
| An Homonyma in Logica pertractanda? | 5 | 3 | | | |
| An Homonyma dentur | 5 | 3 | 1 | | 4 |
| An Homon: in Anteprædicamentis tradenda | 5 | 3 | 1 | | 11 |
| Quomodo Homon: in Logica tractanda | 5 | 3 | 1 | | 23 |
| An Analogia cum Univocatione conſiſtere poſſit. | 5 | 4 | | | |
| An Synon: Univoc: conſtituant partem Logices eſſentialem | 5 | 4 | 2 | | 19 |
| An omne paronym: prædicetur accidentaliter | 5 | 5 | | | |
| An prædicabilia ſint pars Logices | 6 | 1 | | | |
| An appellatio prædicabilium ſit adæquata | 6 | 1 | 2 | | 18 |
| An quinque ſint prædicabilia | 6 | 2 | | | |
| An individuum prædicari queat? | 6 | 3 | | | |
| An individuorum detur ſcientia | 6 | 3 | 1 | | 16 |
| Ubinam de Individ. in Log. tractandum | 6 | 3 | 1 | | 25 |

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corell. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An genus in una ſpecie ſalvari queat? | 6 | 4 | | | |
| An Genus de individuis prædicetur | 6 | 5 | | | |
| An Genus prædicetur de Individuis ut Genus | 6 | 5 | 1 | | 3 |
| An Genus prædicetur de individuis incompletis immediatè | 6 | 5 | 1 | | 15 |
| An ſpecies ſubjicibilis ſit univerſale in prædicando | 7 | 1 | | | |
| An propria communicari queant? | 7 | 3 | | | |
| | 9 | 5 | 2 | | 32 |
| An propria ſeparari queant à ſuis ſubjectis | 7 | 4 | | | |
| An accidens poſſit adeſſe & abeſſe citra ſubjecti corruptionem? | 7 | 5 | | | |
| An prædicamenta ſint tractanda in Logicis? | 8 | 1 | | | |
| Quot ſint prædicamenta | 8 | 1 | 2 | | 18 |
| An Actio & Paſſio diſtincta conſtituant prædicamenta | 8 | 5 | | | |
| An Actio & Paſſio differant realiter an vero formaliter | 8 | 5 | 1 | | 5 & 31 |
| An ad diſtinctionem prædicamentorum requiratur diſtinctio realis | 8 | 5 | 2 | | 4 |
| Fundamentum Relationis quale ſit | 8 | 5 | 2 | | 12 |
| An Poſtprædicamenta in Logica tractanda | 9 | 1 | | | |
| An Poſtpræd. in primâ Log. parte tradenda | 9 | 1 | 1 | | 20 |
| An diſparata ab oppoſitis diſtinguantur | 9 | 2 | | | |
| An â privatione ad habitum detur regreſſus | 9 | 3 | | | |
| An contraria ſimul poſſint eſſe in eodem ſubjecto | 9 | 4 | | | |
| An impoſſibile ſit idem eſſe & non eſſe | 9 | 5 | | | |
| An contradictio omnium oppoſitorum ſit maxima | 9 | 5 | 1 | | 18 |
| Antilogiæ ex quibus cauſis naſcantur | 9 | 5 | 2 | | 46 |
| An Definitio & Diviſio in prima mentis operatione tradenda | 1 | 2 | 1 | | 11 |
| | 10 | 1 | | | |
| An omnis Definitio conſtet ex genere & differentia | 10 | 2 | | | |
| An Definitio poſſit eſſe negativa | 10 | 3 | | | |


An

| | Diſp. | Dub. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An Diviſio detur in omnibus rebus | 10 | 4 | | | |
| An Diviſio & Partitio ſint ſimpliciter idem | 10 | 4 | 2 | | 10 |
| An omnis diviſio debeat fieri per partes immediatas | 10 | 5 | | | |
| An duæ ſint Enunciationis partes | 11 | 1 | | | |
| An copula Eſt Enunciationis partem conſtituat | 11 | 2 | | | |
| An Nomen & Verbum pertineant ad Logicam | 11 | 3 | | | |
| An enunciatio affirmativa negativâ ſit prior | 11 | 4 | | | |
| An propoſitiones Signo univerſalitatis notatæ ſemper ſint univerſales | 11 | 5 | | | |
| An Enunciatio indefinita peculiarem propoſitionis conſtituat ſpeciem | 12 | 1 | | | |
| An propoſitio ſingularis ad univerſalem æquipolleat | 12 | 2 | | | |
| An propoſitio modalis 4. habeat modos | 12 | 3 | | | |
| An propoſitio excluſiva quodvis excludat | 12 | 4 | | | |
| An æquipollentia propoſitionum idem habeant ſubjectum & prædicatum. | 12 | 5 | | | |
| An Diſcurſus ſpectet ad tertiam mentis operationem | 13 | 1 | | | |
| An oratio ſit Genus Syllogiſmi | 13 | 2 | | | |
| An in Syllogismo tres ſint propſiotiones | 13 | 3 | | | |
| An tres ſint figuræ ſyllogismi | 13 | 4 | | | |
| An detur quarta figura Galeni | 13 | 4 | 1 | | 31 |
| An ſemper in forma ſyllogiſtica diſputandum | 13 | 5 | 2 | | 6 |
| An principia ſyllogiſmi in tertia Log. parte tradenda | 14 | 1 | | | |
| An dictum de Omni & Nullo ſint conſideranda in Logica | 14 | 1 | 2 | | 15 |
| An Reductio & Expoſitio abſolutè in Logica tradenda | 14 | 1 | 2 | | 24 |
| An in ſyllogiſmo tres debeant eſſe termini | 14 | 2 | | | |
| An in omni figura ſyllogiſtica fieri debeat congrua trium terminorum diſpoſitio | 14 | 2 | 1 | | 22 |


An

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An concluſio ſit pars ſyllogiſmi | 14 | 3 | 2 | | 3 |
| An ſyllogiſmus expoſitorius ſit bonus Syllogiſmus? | 14 | 4 | | | |
| Quid ſentiendum ſit de ſyllog. Photin. Eſſentia divina eſt Pater, Eſſentia divina eſt Filius, Ergo Filius eſt pater | 14 | 4 | 2 | | 4 |
| An omnis ſyllogiſmus ſit compoſitus | 14 | 5 | 2 | | 23 |
| An diſtributio ſyllogiſmi in ſimplicem & compoſitum ſit univoci in univocata | 14 | 5 | | | |
| An Euporia in Logicis tradenda | 15 | 1 | | | |
| An Sorites ſit Syllogiſmus imperfectus? | 15 | 2 | 1 | | 6 & |
| Quot modis Sorites fiat falſus? | 15 | 2 | 1 | | 7 |
| An Sorites differat à climace Rhetorica? | 15 | 2 | 2 | | 21 |
| An Sorites ſit Syllogiſmus bonus? | 15 | 2 | 3 | | 5 |
| Quænam ſint conditiones Soritis? | 15 | 2 | | | 27 |
| An Syllogiſmus materialis in Logica ſit negligendus? | 15 | 2 | | | |
| An peculiaris detur Logica Theologica, Medica? &c. | 15 | 3 | 1 | | 15 & 16 |
| An Demonſtratio ſit primarium Logicæ Medium | 15 | 4 | | | |
| An detur Demonſtratio | 15 | 4 | 2 | | 14 |
| An Demonſtrationis finis ſit ſcientia? | 15 | 4 | 2 | | 22 |
| An Demonſtratio conficiatur ex Materia? | 15 | 4 | 2 | | 32 |
| Quænam Demonſtrationis ſint partes? | 15 | 4 | 2 | | 85 |
| An omnes homines naturaliter ſcire appetant? | 15 | 5 | | | |
| An ſyllogiſmus Topicus verſetur circa contingentia | 16 | 1 | | | |
| Quænam ſit differentia inter ſyllog. Demonſtr. & Topicum | 16 | 1 | 2 | | 24 |
| An detur ſyllogiſmus topicus | 16 | 1 | 2 | | 29 |
| An Locos topicos logica pertractare teneatur | 16 | 2 | | | |
| An Maximæ ad ſyllog: topicum neceſſariæ | 16 | 2 | 2 | | 6 |
| An differentiæ Maximarum in Log. pertractandæ quoad potentiam obedientialem | 16 | 2 | 2 | | 15 |


An

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An Syllogiſmus Sophiſticus ſit argumentatio vitioſa | 16 | 3 | | | |
| An Syllogiſmus Sophiſticus ſit conſiderationis Logicæ | 16 | 3 | 1 | | 4 |
| Quotuplex ſit Syllogiſmus Sophiſticus | 16 | 3 | 2 | | 14 |
| An omnis methodus ſit vel Synthetica vel Analytica? | 16 | 4 | | | |
| An methodus definitiva peculiarem ſpeciem conſtituat | 16 | 4 | 1 | | 14 |
| An Methodus ſynthetica conveniat diſciplinis theoreticis? | 16 | 4 | 1 | | 26 |
| An Methodus Analyt. conveniat Diſcipl. Practicis | 16 | 4 | 1 | | 34 |
| An Methodus ſit habitus inſtrumentalis | 16 | 4 | 2 | | 20 |
| An Ordo naturæ in diſciplinis obſervandus | 16 | 5 | | | |


## II. METAPHYSICÆ.


| | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| *An in prima mentis operatione detur falſitas* | 3 | 2 | 2 | | 12 |
| *An & quomodo Metaphyſica à Logica diſcernatur* | 3 | 5 | 2 | | 10 |
| | 4 | 1 | 1 | | 6 |
| *An Perſonæ Trinitatis ſint tres cauſæ ſociæ* | 7 | 2 | 2 | | 87 |
| *An contradictoria Deus facere queat* | 7 | 4 | 2 | | 6 |
| *An Entia quatenus Entia à ſeipſis moveantur* | 9 | 5 | 1 | | 36 |
| *An cauſa præternaturalis naturales tollat* | 7 | | | 1 | 7 |
| *An Entia quatenus Entia à ſeipſis moveantur* | 7 | | | 1 | 17 |
| *An corpus idem numero redire contradictionem involvat?* | 9 | 3 | 2 | | 11 |
| *An Deus ſubjectus ſit ordini cauſarum ſecundarum* | 9 | 3 | 2 | | 29 |
| *An diſtinctio conceptus in determinabilem & determinantem ſit idem à parte rei* | 10 | 2 | 3 | | 39 |
| *An falſum ſub ſcientiam cadat?* | 15 | 4 | 2 | | 40 |
| *Quotuplicia ſint principia?* | 15 | 4 | 2 | | 92 |

## III. PNEUMATICÆ.

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| *An creatio in Diabolum cadat* | 1 | | | 1 | 9 |
| *An anima ſit mortalis* | 1 | | | 1 | 19 |
| *An anima hominis in brutum transmutari queat* | 1 | | | 1 | 25 |
| *Operationes intellectus quomodo pertineant ad Pneumaticam* | 3 | 5 | 1 | | 13 |
| *An Spiritus familiares appetere liceat* | 4 | | | 1 | |
| *An Angeli boni hodie ad homines occultè inſtituendos amandantur* | 4 | | | 1 | 28 |
| *An Deus in concurſu actionem ſuſpendere queat* | 7 | 4 | 2 | | 37 |
| *An Dæmones generare queant* | 9 | | | 3 | 19 |
| *An Diabolus in corpore aſſumpto cum hominibus congrediatur* | 9 | | | 3 | 36 |
| *Quomodo Diabolus hominibus ſomnia ſuggerat.* | 15 | | | 1 | 16 |

## IV. PHYSICÆ.

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An Lycanthropia ſit poſſibilis | 1 | | | 1 | |
| An appetitus humanus in beluinum converti queat | 1 | | | 1 | 32 |
| Quot modis dæmones hominum ſenſus illudant | 1 | | | 1 | 41 |
| Cur ramusculo ab arbore diſſecto arbor non arefit | 1 | | | 2 | |
| An Ephialthes cauſas habeat naturales | 2 | | | 1 | |
| An Cometarum locus ſit æthereus | 2 | | | 2 | |
| Quænam cometarum materia | 2 | | | 2 | 19 |
| Utrum manus dextra ſiniſtra ſit promptior per naturam an per aſſuetud. | 2 | | | 3 | |
| Cur quidam homines gaudio extingui ſoleant | 2 | | | 6 | |
| An Mulieres ſint monſtra | 2 | | | 5 | |
| An Coſcinomantia cum reliquis ſpecieb. fundam: habeat in Natura | 2 | | | 2 | |
| An verborum aliqua ſit efficacia | 3 | | | 2 | 8 |

Qui

| | Diss. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| Qui fit quod ij qui non assueti maritimis navigationibus facile concitentur ad vomitum | 3 | | | 3 | |
| Qui fit quod dolia ostijs Oceani injecta mari innatent | 4 | | | 3 | |
| An strigiportium realiter perfici queat | 5 | | | 1 | |
| Cur Diabolus sua mancipia in montem Cacium evehat | 5 | | | 1 | 73 |
| Qui fit quod somnambulones loca periculosa sine periculo adeant | 5 | | | 2 | |
| An Draco Volans sit ipse Cacodæmon | 6 | | | 1 | |
| Cur Draco Volans tectis ædificij incumbat | 6 | | | 1 | 20 |
| An Diabolus sub specie Draconis ditandi causa advolet | 6 | | | 1 | 39 |
| Num ex Lunæ cornibus & coloribus tempestas prognosci queat | 6 | | | 2 | |
| Cur tempore hyberno ante Solis ortum frigus intendatur | 6 | | | 3 | |
| Cur cellæ in hyeme tepidiores sint in æstate autem frigidiores | 6 | | | 3 | 9 |
| An cæruleus cæli color ipsam cæli monstret substantiam | 6 | | | 4 | |
| Cur sylvæ cæruleum præsentent colorem | 6 | | | 4 | 26 |
| Cur pluvijs cadentibus januæ ægrè claudantur | 6 | | | 5 | |
| Quomodo animal cesset â somno | 6 | | | 6 | |
| An miranda fulminis effecta causas agnoscant naturales | 7 | | | 1 | |
| An Diabolus fulmina ciere queat | 7 | | | 1 | 12 |
| An Magi fulmina producere possint | 7 | | | 1 | 35 |
| Cur gladius liquefiat illæsa vagina | 7 | | | 1 | 91 |
| Cur Aurum liquescat loculis non ambustis | 7 | | | 1 | 91 |
| Cur ossa lædantur Salvâ cute | 7 | | | 1 | 91 |
| Cur pedes illæso calceo conterantur fulmine | 7 | | | 1 | 91 |
| Cur manus lædantur Salvâ chirotecâ | 7 | | | 1 | 91 |
| Cur medulla arborum sine externo læsionis signo exuratur | 7 | | | 1 | 91 |

| | Diſſ. | Ant. | Concl. | Corell. | Liu. |
|---|---|---|---|---|---|
| Cur retia in Mari amburantur fulmine | 7 | | | 1 | 92 |
| Cur cereviſia & vina vaſis intactis fulmine corrumpantur | 7 | | | 1 | 93 |
| Cur fracto per fulmen dolio vina non effluant | 7 | | | 1 | 94 |
| Cur animalia venenata veneno priventur ex fulmine | 7 | | | 1 | 95 |
| Cur pili ſubalarij fulmine exurantur ſalvâ cute | 7 | | | 1 | 95 |
| Cur induſium, veſtes, calcei Zona lædantur ſalvo corpore | 7 | | | 1 | 96 |
| Cur fulmen quandoq; jugulet hominem nullo extrinſeco ſigno relicto | 7 | | | 1 | 97 |
| Cur infantes in utero materno fulmine pereant ſalvâ matre | 7 | | | 1 | 98 |
| Cur fulmen feles & canes enecet | 7 | | | 1 | 99 |
| Cur unus fulmine tangatur alter eidem aſſidens non lædatur | 7 | | | 1 | 99 |
| Cur dormientes fulmine percuſſi apertis reperiantur oculis | 7 | | | 1 | 9.10 |
| An poſſibile ſit anſeres naſci arboribus | 8 | | | 1 | |
| Qui fit quod nonnulli homines â caſeo, butyro &c. abhorreant | 8 | | | 3 | |
| Cur nonnulli homines ad præſentiam felium exanimentur | 8 | | | 3 | 10 |
| Cur milites noctu tympano piſa imponunt | 8 | | | 4 | |
| Cur fragor tormento bellico explosus eminus percipiatur quam fragor tonitrualis | 8 | | | 4 | 13 |
| An Iris cauſas habeat naturales | 9 | | | 1 | |
| An nubes concava ad Iridem requiratur | 9 | | | 1 | 24 |
| Quænam ſit cauſa incurvationis arcus Iridis | 9 | | | 1 | 50 |
| Cur arcus Iridis ſemper ſemicircularis appareat? | 9 | | | 1 | 82 |
| Cur Iris fugientem ſequi & ſequentem fugere videatur | 9 | | | 1 | 90 |
| An duæ vel tres Irides exiſtere queant | 9 | | | 1 | 110 |
| An ſtella cadens ſit Meteoron | 9 | | | 2 | |


An

| | Diſſ. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An ſtella cadens ſit excrementum ſtellarum | 9 | | 2 | | 44 |
| Qui fit quod ex effluvijs tot meteora fieri queant | 9 | | 2 | | 70 |
| Quotuplicia ſint Meteora | 9 | | 2 | | 86 |
| An & quomodo infantes ſuppoſititij prognaſcantur | 9 | | 3 | | |
| Qui fit quod nonnulli homines præ nimio timore moriantur | 10 | | 3 | | |
| Qui fit quod ligna in ſylvis ſecta citius percipiantur viſu quam auditu | 11 | | 2 | | |
| Cur citius percipitur fulgur quam Tonitru? | 11 | | 3 | | 17 |
| Cur caput animalis inter dormiendum deorſum vergat | 12 | | 4 | | |
| An Hirſuties ſit ſignum adultæ perfectionis | 14 | | 2 | | 34 |
| An ſpectra naturaliter fieri poſſint | 14 | | 3 | | 65 |
| Qui fit quod nonnulli homines mirabilia cernant alijs tamen illa non cernentibus | 14 | | 3 | | 71 |
| Quotuplex ſit Ecſtaſis | 14 | | 4 | | 14 |
| An Magorum animæ extra corpora abripiantur | 14 | | 4 | | 22 |
| Cur aures nimio ſonitu læduntur | 14 | | 5 | | |
| Cur oculi ſubitaneo candelæ accenſæ adventu lædantur | 14 | | 5 | | 10 |
| Cur Deus inter diem & noctem crepuſcula interiecerit | 14 | | 5 | | 13 |
| Qui fit quod tam portentoſa Somnia animo obverſentur? | 15 | | 1 | | |
| Quomodo Somnia Dæmoniaca internoſcantur? | 15 | | 2 | | 15 |
| Quodnam diſcriminis ſit inter illa Oracula quæ Deus per ſomnia edit populo & inter illa quæ quandoq; etiam gentib. edidit extra Eccleſiam | 15 | | 2 | | 34 |
| An diebus Canicularibus Solis ardor promoveatur ortu ſyrij? | 15 | | 7 | | |




Quando

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| Quando dierum Canicularium initium ſit ac finis? | 15 | | | 7 | 4 & 5 |
| Cur horis diurnis pomeridianæ calidiores ſunt antemeridianis? | 15 | | | 7 | 39 |
| Cur frigus intenſius eſt menſe Februario quam Januario? | 15 | | | 7 | 43 |

## V. MATHEMATICÆ.

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| *Cur lapis è funda ejiciatur velocius quam è manu* | 2 | | | 4 | |
| *An terra ſit ſphærica?* | 3 | | | 4 | |
| *An & cur Malus in medietate Navis ſit exſtruendus* | 5 | | | 3 | |
| *Cur funis ſummo mali loco alligatus commodius navim trahat* | 5 | | | 3 | 17 |
| *An ex 12. diebus criticis tempeſtates prognoſci queant* | 6 | | | 2 | |
| *Quomodo cognoſci queat Lunam creſcere & decreſcere* | 6 | | | 2 | 27 |
| *An detur primum mobile* | 7 | | | 3 | |
| *An Saturnus, Mars meritò aſtra maligna audiant* | 7 | | | 4 | |
| *An Sol ſit major Luna* | 9 | | | 4 | 2 |
| *An Sol terra major* | 9 | | | 4 | 8 |
| *An terra ſit major Luna* | 9 | | | 4 | 13 |
| *An ſtellæ proprio gaudeant Lumine* | 10 | | | 1 | |
| *Qualis ſit diſtantia Solis à terra* | 10 | | | 1 | 13 |
| *Quænam ſtellarum ſit materia* | 10 | | | 1 | 28 |
| *An planetæ nullum poſſideant lumen* | 10 | | | 1 | 51 |
| *Semidiameter terræ quot conſtet milliaribus germanicis?* | 10 | | | 1 | 14 |
| *Qualis ſit diſtantia terræ ad firmamentum cæli* | 10 | | | 1 | 16 |
| *An Venus incrementum & decrementum patiatur* | 10 | | | 1 | 40 |
| *Quænam cauſa ſcintillationis ſtellarum* | 12 | | | 1 | |

An

| | Disp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An præter Lunam ullus planetarum â terra ecclipsari possit | 12 | | | 2 | |
| Quanta sit umbra terræ | 12 | | | 2 | 6 |
| Quænam Saturni distantia â terra. Item Jovis, Martis! | 12 | | | 2 | 14 |
| Utrum Planetæ Inferiores possint Ecclipsari â terra | 12 | | | 2 | 18 |
| Unde proveniant Maculæ Lunares? | 15 | | | 4 | |
| Quodnam illud est Lumen quod in Luna ecclipsata apparet? | 15 | | | 5 | |
| Cur Lunæ superficies totaetiam non illuminata post Novilunium conspici potest? | 15 | | | 6 | |
| Quanta magnitudine Terra Lunam excedat? | 15 | | | 6 | 31 |


## VI. PRACTICÆ ex Ethica & Politica


| | Disp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| An finis & subjectum in practicis Disciplinis essentiali tractationi inferenda | 4 | 5 | 1 | | 11 |
| An Somatomunitio sit res licita | 11 | | | 1 | |
| An venditor Emptori vitium rei venalitiæ exponere debeat | 12 | | | 3 | |
| An omne Mendacium sit improbandum | 13 | | | 1 | |
| An Torturæ in bene constituta Republica tolerandæ | 11 | | | 2 | |
| An moderatæ torturæ contrarientur principijs Theologicis | 11 | | | 2 | 29 |
| An omnes Leges Forenses hodiè inter Christianos tolerari queant | 13 | | | 2 | |
| An homo Christianus Magistratum gerere queat | 13 | | | 3 | |
| An αὐτοχειρία sit licita | 14 | | | 3 | 5 |


## VII. HISTORICÆ.


| | Disp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| Cur famosi libelli dicantur pasquilli | 4 | | | | |
| Prædicabilia â quonam inventa | 6 | 1 | 2 | | 7 |
| Unde signorum cælestium nomina proficiscantur | 7 | | | 2 | |


Quænam

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| Quænam Dodecatemoriarum ſit origo | 7 | | | 2 | |
| An ſemina Anſerum reperiantur in Conchis | 8 | | | 1 | 40 |
| An Delphinus delectetur nomine Simonis & cur | 8 | | | 2 | |
| An Delphini delectentur hominibus | 8 | | | 2 | 17 |
| An Pythoniſſa 1. Sam. 28. fuerit mater Abneri | 14 | | | 3 | 16 |
| Qualenam fuerit Somnium Zvvinglij, item Tundali? | 15 | | | 1 | 34 |
| Quodnam fuerit Somnium Johannis Wilhelmi Ducis Saxoniæ? | 15 | | | | 55 |
| Unde ortum traxerit iſta opinio qua dicitur Solis ardorem promoveri ortu Syrij? | 15 | | | 7 | 9 & |

# Errata graviora ſic corrigantur, reliqua Benevolus Lector pro candore ſuo emendabit.

| | | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Ex προ παρχέσης | Lege προυπαρχέσης | 1 | 1 | 2 | | |
| Commoſtret | Leg. Commonſtret | 1 | 1 | 3 | | |
| Interpers | Leg. Interpres | 1 | 4 | 1 | | 15 |
| Büfeldius | Leg. Binsfeldius | 1 | | | 1 | 93 |
| Requeat | Leg. Nequeat | 1 | | | 2 | 9 |
| Votis | Leg. Vocis | 2 | 1 | 2 | | 8 |
| Dignus | Leg. Dignius | 2 | 1 | 2 | | 17 |
| δερτέρως | Leg. δευτέρως | 2 | 2 | | | 7 |
| θεοφίαν | Leg. θεωφιάν | 2 | 4 | 1 | | 29 |
| Affectio | Leg. Effectio | 2 | 4 | 1 | | 49 |
| ωσπερ ἤδη | Leg. ὅπερ ἔδει | 2 | 4 | 2 | | 12 |
| Coutemplarij | Leg. Contemplari | 3 | 5 | 1 | | 10 |
| Opinibus | Leg. Opinionibus | 3 | | | 3 | 3 |
| Invicum | Leg. Invicem | 4 | 1 | 1 | | 16 |
| Pertrabitur | Leg. Pertractabitur | 4 | 1 | 1 | | 25 |
| Tractatia | Leg. Tractatio | 4 | 1 | 2 | | 13 |
| Inadæquatum | Leg. Inadæquatam | 4 | 4 | | | 7 |
| Agipp. | Leg. Agrippa | 4 | 4 | 1 | | 14 |
| Rhetorcia | Leg. Rhetorica | 5 | 1 | 1 | | 14 |

Inſti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0292
DFG

| | | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *Iniſtitui* | Leg. *Inſtitui* | 5 | 3 | 1 | | 18 |
| *Acaenſi* | Leg. *accenſi* | 5 | | | 2 | 15 |
| *Contuimur* | Leg. *contuemur* | 6 | | | 1 | 16 |
| *Logia* | Leg. *Logica* | 7 | 2 | 1 | | 7 |
| ἀχρίςως | Leg. ἀχωρίςως | 7 | 4 | 1 | | 16 |
| *Ut* | Leg. *Nî* | 8 | 2 | 1 | | 43 |
| *Tota* | Leg. *Toto* | 8 | 2 | 2 | | 17 |
| *De quanis increatis* | Leg. *De non-quantis crea-* | 8 | 4 | 3 | | 7 |
| *Firmæ* | Leg. *Formæ* (*tis* | 8 | 5 | 1 | | 28 |
| *Poteſt* | Leg. *Poteſtas* | 9 | 3 | 2 | | 20 |
| *Babylonieo* | Leg. *Babylonicæ* | 9 | 3 | 2 | | 26 |
| *Perfectionem* | Leg. *Perfectiorem* | 11 | | | 1 | 9 |
| αξυώπις. | Leg. αὐτώπις. | 12 | 3 | 1 | | 8 |
| συδηρώξυλον | Leg. Σιδηρωξυλον | 13 | 1 | 1 | | 8 |
| ἑρμένας | Leg. ἑρμενείας | 13 | 2 | | | 15 |
| *Abſtracto* | Leg. *Abſtractè* | 13 | 2 | | | 15 |
| *Jud. 18.* | Leg. *Jud. 19. v. 2.* | 13 | | | 3 | 4 |
| *Ab* | Leg. *Ad* | 13 | | | 3 | 10 |
| *Quæſtiones* | Leg. *Quæſtionis* | 14 | 5 | | | 10 |
| *Agnoſcat* | Leg. *Agnoſcant* | 16 | 1 | 2 | | 6 |
| *Hoc* | Leg. *Hos* | 16 | 2 | 2 | | 17 |

## Superabundantia eruantur

| | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|
| Dele: *Terra in Ecclipſibus lunaribus à Sole aver-ſa circularem projicit umbram Hinc eſt quod* | 3 | | | 4 | 16 |
| Dele *Diſcuti queant* | 9 | 5 | 2 | | 45 |
| *Poſt tantum* Dele *tum* | 14 | 2 | 2 | | 17 |

## Omiſſa inſerantur.

| | | Diſp. | Ant. | Concl. | Coroll. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Poſt voces: *Diſpoſitio quæ* | adde *fœtus* | 2 | | | 3 | 5 |
| Poſt vocem: *practico* | adde *factivo* | 2 | 4 | 1 | | 44 |
| Poſt verba: *tot prædicabilia* | adde *quot uni-(verſalia* | 6 | 2 | 2 | | 25 |

):( Poſt

| | | | Diſp. | Ant. | Concl. | Corol. | Lin. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Poſt vocem: *diſcernitur* | adde *à prædicabili* | | 7 | 1 | 2 | | 6 |
| Poſt voces: *Propoſitionis* | adde *quid* | | 12 | 5 | | 2 | 8 |
| Poſt vocem: *Unde Signorum* | adde *Cæleſtium* | | 7 | 2 | | | 1 |
| Poſt voces: *naturæ* | | | 14 | 1 | 2 | | 17 |

# Deficientia ob penuriam chartæ Superaddantur

*Diſp. 3. Auctar. 1.* poſt voces *Ecſtaſi exprimitur* adde ſequentia. *Patet id inde, partim quod ſopor ille à Deo fuerit immiſſus. At Ecſtaſis fit perpotentiam divinam: partim quod tunc Adamus ſecretiora cæleſtis numinis afflatu incarnationis myſteria cognoverit quod indicat his verbis. Hæc eſt caro de carne mea & os de oſſibus meis unde & D. Paulus hæc verba ita interpretatus eſt Eph. 5. cum dicit μυστήριον vid.* Auguſt. *l. 5. de Gen. c. 15.*

*Diſp. 15. Corol. 7. in fine adde: Patet, Terra enim quia præcedente æſtate à Sole incalefacta quaſi extitit, utiq; illum calorem non ita cito dimittit, ſed velut furnus, licet carbones in favillas iverint, tamen fundum ſemel calefactum calorem aliquandiu retinet ita & Terra calorem aſſumptum uſq; ad Februarium aliquomodo prolongat, ut deinceps extinctus ingens dominetur frigus.*

## *Catalogus Authorum & Scriptorum adhibitorum in his Diſputationibus.*

A

Abram Eſræ filius.
Ægidius Romanus
Ælianus.
Affelmannus
Alexand. ab Alex.
Albertus Magnus
Alciatus
Aſſtedius
Ambroſius
Anonymus
Ariſtoteles
Arnobius
Averra.
Arianus
Athanaſius
Athenæus
Auguſtinus
Aulus Gellius

B

Balduinus

Bartho-

Bartholinus
Baptista à Porta
Becmannus
Bellonius
Beurhusius
Binsfeldius
Blancanus
Bodinus
Boëtius
Brochmand.

C.

Cajetanus
Calovius
Calvisius
Camerarius
Capreolus
Cardanus
Carol, Raconis
Christian. Matthiæ
Christian. Israëlita
Christoph. Irenæus.
Chrysostomus
Cicero.
Claudianus
Cornelius Martini
Cornel. de Lapide
Comenius
Codomannus
Conrad. Schragmüller
Connimbricenses
Copernicus
Crellius
Crusius
Crügerus
Cyrillus.

D.

Damascenus.
Daniel Beckerus.
Daniel Sthalius.
Dan...
Danæus
Dietericus
Deodorus Cronus
Dominic. de Flandria.
Dominic de Bannes
Dutrieu.

E.

Egesippus
Eiflerus
Eleasarus
Epiphanius
Erasm. Roterod.
Eusebius.

F.

Faber
Finkius
Ficinus
Flaccus
Fonseca
Forsterus
Franzius.

G.

Galenus
Galilæus
Georg. Remig.
Gerhard. Mercator.
Gesnerus
Geslavius
Goglenius
Grawerus
Gregor. de Valentia
Grillandus
Guido de Suzaria.

H

Hasenmüller
Heshusius
Hispanus
Hinr. Corn. Agrippa
Hinr. Nicolai
Hugo Victorius
Hunnius
Hurtadus
Hyeronymus

I.

Jacob. Martini
Javellus
Jasius
Joh. Behm
Johan. Gigas
Johan. Pena
Joh. Willius
Jonathan. Chaldæus
Josephus
Isendorn
Justinus Martyr.

K.

Kekermannus
Keplerus
Keslerus.

L.

Lagus
Laurentius Arnoldi.
Laurentius Valla.
Lemnius
Linemannus

Löbelius

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0295
DFG

Lôbelius
Lutherus
Lucianus
Lyranus.

M.

Majolus
Marius
Masius
Mæsthlinus
Meisnerus
Melanchton
Mela
Mislenta.

N.

Nazianzenus

O.

Niphus.
Ovidius.
Osiander.

P.

Pancirollus
Parergus
Pererius
Petrus de Palude
Petrus Bertius
Peucerus
Phil. Dounamus.
Piccolomineus
Pigafetta
Plato
Plinius
Plutarchus
Porphyrius
Pouchenius.

R.

Ramus
Realdus Columbus
Regius
Remigius
Reneccius
Ridonius
Rudolph. Agricola
Ruvius.

S.

Sabinus
Sanchius
Sanchiez
Schegkius
Scharfius
Schröderus
Scheiblerus
Scaliger
Schotus
Seneca
Smiglecius
Sozomenus
Sperlingius
Straussius
Suarez.

T.

Tartaretus
Theatr. Vit hum.
Theodoretus
Thomas
Thrithemius
Tibullus
Timplerus
Toletus
Tostatus
Tycho Brahe.

V.

Venetus
Vincentius
Vitellio
Virgilius

W.

Wellerus
Wegerus
Wierus
Witzendorff.

Z.

Zabarella
Zetnerus
Zepperus
Zeno Eleates.

ליהוה הוד והדר לעולם



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0298
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729631184/phys_0300
DFG

| | Dij |
|---|---|
| Qui fit quod ij qui non assueti maritimis navigationibus facile concitentur ad vomitum | 3 |
| Qui fit quod dolia ostijs Oceani injecta mari innatent | 4 |
| An strigiportium realiter perfici queat | 5 |
| Cur Diabolus sua mancipia in montem Cacium evehat | 5 |
| Qui fit quod somnambulones loca periculosa sine periculo adeant | 5 |
| An Draco Volans sit ipse Cacodæmon | 6 |
| Cur Draco Volans tectis ædificij incumbat | 6 |
| An Diabolus sub specie Draconis ditandi causa advolet | 6 |
| Num ex Lunæ cornibus & coloribus tempestas prognosci queat | 6 |
| Cur tempore hyberno ante Solis ortum frigus intendatur | 6 |
| Cur cellæ in hyeme tepidiores sint in æstate autem frigidiores | 6 |
| An cæruleus cæli color ipsam cæli monstret substantiam | 6 |
| Cur sylvæ cæruleum præsentent colorem | 6 |
| Cur pluvijs cadentibus januæ ægrè claudantur | 6 |
| Quomodo animal cesset â somno | 6 |
| An miranda fulminis effecta causas agnoscant naturales | 7 |
| An Diabolus fulmina ciere queat | 7 |
| An Magi fulmina producere possint | 7 |
| Cur gladius liquefiat illæsa vagina | 7 |
| Cur Aurum liquescat loculis non ambustis | 7 |
| Cur ossa lædantur Salvâ cute | 7 |
| Cur pedes illæso calceo conterantur fulmine | 7 |
| Cur manus lædantur Salvâ chirotecâ | 7 |
| Cur medulla arborum sine externo læsionis signo exuratur | 7 |




vol. Lin.

73

20
39

9

26

12
35
91
91
91
91
91
91

Cur